



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Commvni,  
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque  
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.**

Disputatio V. De subiecto Censuræ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)



ficent tempus iam elapsum esse, & superiori de sua contumacia constituisse, an tunc teneatur abstinere, eo quod iam eius ignorantia non videatur inuincibilis, sed constituens illum in dubio probabili. Respondeo primum, si huiusmodi peccator loco distet à superiori, cuius censuram expectat, vel potius timet, quamuis fuerit elapsum sufficiens tempus, ut potuerit ligari, si tamen non fuit sufficiens tempus elapsum, ut etiam potuerit illi intimari sententia, non tenetur ob prædictam suspensionem abstinere, tum quia præceptum non obligat, donec possit à subdito sciri, vel saltem non ita obligat, quin eius ignorantia sufficienter excuset: tum etiam, quia illa suspensio non est sufficiens ad obligandum: quia fieri potuit, ut superior mutauerit voluntatem, vel distulerit executionem, propter rationes vel impedimenta, quæ frequenter occurrunt.

At vero, si tantum temporis elapsum est, ut potuerit non solum sententia ferri, sed ad noticiam eius deferri, vltius subdistingendum videtur: nam, aut ille consulto sese occultat, aut fugit, ut notitia sententiæ ad illum non perueniat. Et tunc non excusetur, quia illa ignorantia non solum inuincibilis non est, verum potius videtur affectata. Quod etiam confirmari potest à simili ex supra dictis de illo, qui per vim, vel fraudem impedit, ne admoneatur: est enim hic eadem, vel maior ratio. At vero, si ille nullo modo sese occultauit, sed bona fide se gessit: & nihilominus nullam noticiam latæ sententiæ habet, non tenetur illam præsumere, neque illam ita formidare, ut abstinere cogatur. Tum propter dicta, quia illa suspensio est insufficiens, cum multis de causis potuerit pronuntiatio sententiæ suspendi: tum etiam, quia illam temporis dilatio infert iam contrariam suspensionem, nimirum sententiam prolatam non esse, nam si fuisset, vel per iudicis diligentiam, vel per famam, quæ in his rebus facile diffunditur, ad noticiam partis peruenisset. Oportet ergo, ut vel per iudicem notificetur, vel saltem ut probabilibus, & fide dignis testimoniis constet sententiam fuisse latam. Non enim opinor necessarium esse, ut semper hæc notitia per notificationem iudicis habeatur, distinctam à sententiæ promulgatione sed satis esse, ut sententia sufficienter promulgata quacunque via in sufficientem noticiam deueniat: sicut in promulgatione legis vel statuti manifestum est. An vero teneatur huiusmodi reus inquirere, & diligentiam facere ad hanc noticiam habendam, respondeo, per se loquendo, non teneri, quia in his, quæ penales sunt, & coactiua, satis est passivus se habere ad infictionem pœnæ: hæc autem notificatio censuræ est veluti pars executionis eius: & ideo ad iudicis munus spectat illam procurare, non ad ipsius reum. Solum ergo tenetur per vim, vel fraudem illam non impedire.

Rursus inquiri hic potest, an sufficiat notitia censuræ per solam famam, ut aliquis abstinere, seu censuram seruare teneatur. Nonnulli enim Canonistæ ita simpliciter affirmant, quia talis fama, vel cōfere sufficientem noticiam censuræ, vel constituit hominem in eo statu, ut merito dubitare possit: qui autem dubitat de censura, ut tutiorem partem sequatur abstinere debet, iuxta cap. *Illud*, de Cleric. excommunicato ministrante: ubi Abbas id notat, & in cap. *Apostolica*, eodem titulo cum Glossa, ibi. Idemque colligitur ex cap. *Cum de fideles*, de Sentent. excommunic. ubi dicitur, si publica fama est, quemquā verberasse aliquem clericum, non esse cum illo communicandum. Quod procedebat iuxta antiquum ius: nunc enim iuxta Extrauagantem *Adestandus*, solum tenemur euitare hunc percussorem, quando est ita manifestus, ut nulla tergiversatione possit culari. Illud vero ius antiquum multo magis obligabat ipsum excommunicatum, quandocunque illi per famam, de sua excommunicatione constabat:

hoc autem ius respectu ipsius excommunicati integrum manet. Atque hæc sententia, præsertim propter hæc iura positiua vera videtur, dummodo fama sit talis, ut prudenter considerata cum aliis circumstantiis probabilem saltem fidem facere possit. Præsertim, cum facile sit, remedium absolutionis ad cautelam adhibere. Quod si hoc locum non habeat, saltem est diligentia adhibenda ad veritatem indagandam, ut vel certitudo de re ipsa habeatur, vel certe, si dubium adhuc maneat, speculatiuum tantum, & non practicum sit, ut eo non obstante possit quis suo iure, & libertate uti, iuxta regulas conscientia.

Tertio obseruandum est, quod supra diximus, censuram duplices habere effectus, quosdam præcipiendo tantum, de quibus procedunt, quæ in proxima animaduersione notauimus: alios per se ipsam efficiendo, & exequendo, qui non pendunt ex notitia, vel ignorantia eius, qui per sententiam ligatur, ut quod reddatur incapax beneficii, vel aliquid simile. Et de his est nonnulla dubitatio, an talis sententia statim habeat hos effectus circa ignorantem, Quam tractat Glossa in dicto cap. *Apostolica*, verb. *Probabilis*, de Clerico excommunicato, minist. & licet in utramque partem dubia proponat. Tandem definit, quoad hos effectus non pendere executionem sententiæ ex scientia, vel ignorantia eius in quem fertur. Quæ est vera, & recepta sententia, ut patet ex Couarruua supra, & §. 7. numero. 2. & Vgolino dicto §. 8. numero 5. Et ratio est, quia quoad hunc effectum non pendet sententia ex actione, vel obligatione rei, sed in illum efficaciter operatur, ipso etiam non consentiente: ergo neque etiam pendet ex ignorantia, vel scientia eius. Patet cōsequencia, quia ignorantia in aliis effectibus solum excusabat propter obligationem, vel consensum necessarium ex parte alterius. Et explicatur à simili ex communi doctrina de legibus positiuis, quæ etiam proportionaliter habere possunt illos duos effectus obligandi, & irritandi: & licet prior excusetur per ignorantiam, non tamen posterior, per se loquendo: quia ille fit, ac ipsa lege, & non expectat consensum, vel operationem alterius.

Ethinc colligitur, si talis censura excommunicatio sit, irritam reddere collationem beneficii, & iurisdictionem tollere & similia, de quibus infra, tractando de censuris in particulari, dicemus. Statim vero occurrebat inconueniens, quia sequitur absolutionem datam ab huiusmodi excommunicato etiam in foro conscientia esse nullam, quia priuatus est iurisdictione: Quod tamen cederet in periculum animarum, cum illa excommunicatio tunc inuincibiliter etiam ignorari possit. Sed ad hoc iam supra significatum est, & infra latius dicetur, eum, qui communi existimatione toleratus est, non priuari iurisdictione quoad hos actus: non quia sententia ad hoc etiam non esset efficax, de se ac per se: (hanc enim particulam propterea superius addidi) sed quia propter commune bonum Ecclesia ex benigna prouidentia talem iurisdictionem concedit. Unde etiam si ipse reus non ignoraret suam censuram, si in communi Ecclesiæ existimatione ignoraretur & reputaretur minister idoneus, idem dicendum esset. Non ergo id prouenit ex ignorantia, sed ex alio capite.

DISPUTATIO V.

De iis, in quos potest ferri censura.



ÆC est vltima causa censuræ, quæ rationem materialis participat: & magna ex parte in superioribus explicata est, tum, quia

*An censura ignorantia causat effectus, qui ex ignorantia rei pendunt.*

*Glossa*

*Comm. Vgolin.*

*Quid si excommunicatus occultus absolvatur.*



is, in quem fertur censura, delinquens, & peccator esse debet tum etiam, quia oportet ut sit subditus eius, qui fert censuram: & ideo ex iis, quæ diximus de causa censuræ, & de iurisdictione ad illam ferendam necessaria, facile possunt intelligi conditiones requisitæ in subiecto censuræ: pauca verò addenda sunt ad materiæ complementum.

## SECTIO I.

*Quæ conditiones in aliquo requirantur, ut capax sit censura.*

*Solus homo viator ligari potest censura.*



Primum suppono, hominem tantum viatorem, & consequenter viuentem in hac vita mortali; posse censuram ligari propriè, & in rigore loquendo. Ita supponunt omnes, qui de hac materia scribunt. Et patet facile ex dictis, nã solus homo viator est capax delicti, & emendationis eius: utrumque autem requiritur in subiecto capaci censuræ: nam fertur propter delictum, & contumaciam, ut dictum est ex Matth. 18 & fertur ob emendationem eius, & salutem animæ, ut dictum etiam est ex prima ad Corinth. 5. Bruta ergo animalia excluduntur, quia non habent capaciam delicti, & eadem ratione beati omnes excludi possunt. Dammati verò, quia iam non possunt emendare delictum: præterquam quod omnes illi sunt extra forū Ecclesiæ, vel naturæ suæ, ut angeli, vel ratione status, ut animæ sepe ratæ. Adde, effectus censurarum, quales sunt priuatio communicationis ciuilibis aut sacræ, vsus sacramentorum, vel sacrificij, &c. non habere locum in his omnibus, sed in solo homine viatore: quia nemo priuatur nisi ijs, quæ habet, vel habere potest.

*Obiectio.*

*Galat. 1.*

*Quo sensu anathematizantur res in se insubiles, ac demones.*

*Leo Papa. Ios. 6 & 7.*

*Nauar.*

Hic vero obijci potest, quia interdum quædam animantia bruta, ut locustæ, & similia, quæ fructus terræ deuorant excommunicari dicuntur. Item quod Paulus anathema dicit in eum, qui contra Euangelium docet, etiam si Angelus sit, ad Galat. 1. Et inter exorcizandum, demones excommunicari, & anathematizari dicuntur. Item, quia interdum mortui etiam excommunicari possunt, cum possint absolui, ut sumitur ex multis decretis 24. quæstione 3. Sed hæc facile expediuntur, si aduertamus in primis, verbum anathematizandi, & excommunicandi interdum accipi pro verbo execrandi, & detestandi: & separandi à nobis aliquid tanquam nocuum, & execrabile. Et hoc sensu non tantum personæ, sed interdum etiam res aliæ, verba seu sententiæ aut hæreses anathematizari dicuntur. Sic enim hæretici, cum abiurant errores, eos anathematizant, cum tamen nec ipsi censuras ferre possint, neque ipsi hæreses capaces sint censuræ: significant ergo se execrare, & à hominibus separare tales errores. Atque hic est vsus antiquissimus à Conciliis, & summis Pontificibus obseruatus, ut patet ex cap. Ego Berengarius de Consecr. distinct. 2. & cap. Donatum, cum aliis 1. quæst. 7. ex Leone Papa Epistola 3. & 87. Imo & Iosue 6. & 7. hoc sensu dicitur. Sit ciuitas hæc (scilicet Hiericho) anathema, & omnia, quæ in ea sunt Domino: id est execrabilis, & prorsus destruenda: ac succendenda. Vnde additur. Sola Rahab meretrix viuat. Et frequens est illa significatio. Cū ergo exorcizantur animalia bruta, & similia, verba quæ in illa dicuntur, solum sunt imprecationes quædam, quibus Christianus Populus à Deo postulat, ut illa auertat, ac destruat. Dicere autem similia verba intentione ferendi censuram superstitiosum esset: Ut recte dixit Nauarrus in Summa, cap. 27. n. 13. Atque in

eodem sensu dixit Paulus anathema in eum, qui aliud euangelizauerit, quam quod ipse euangelizauerat, etiam si esset Angelus: quod per exaggerationem dixit Paulus, ad ostendendam firmitatem fidei, & quam sit execrabilis, & fide indignus, qui contrarium prædicat. Vnde Basilii in regulis breuius disputatis, in 114. ita ferè exponit. Talis fugiendus est, atque execrationi habendus. Et eodem sensu accipienda sunt similia verba, quoties in demones dicuntur.

*Quomodo mortui excommunicari dicantur.*

Ultima vero parte obiectionis nonnulla maior controuersia est; nam quidam contendunt hominem mortuum posse censuram ligari: quia interdum iura hoc modo loqui videntur. Tamen res est facilis, si recte attendatur. Nam directe, ac (ut ita dicam) in se ipso, non potest homo mortuus censuram ligari, & consequenter, nec in eum potest directe censura ferri. Ita docet Ioan. de Lignano in tit. de censuris, §. nono, num. 2. & 3. Nauarrus in Summa cap. 27. num. 13. Couarruias in cap. Alma, part. 1. §. 11 num. 8. Castro lib. 2. de iusta hæret. punit. cap. 19. & 20. Et potest facile probari rationibus, quibus supra ostendimus, solum hominem viatorem censuram ligari posse, nam homo iam mortuus, nec simpliciter homo, neque viator est. Et explicatur in hunc modum: nam vel censura talis ferretur in animam separatam, vel in corpus mortuum: non in animam, tum quia iam est extra forum Ecclesiæ militantis: nemo autem ligatur à non suo iudice, ut ad rem præsentem dicitur in c. Quod autem, de Pœnit. & remiss. Tum etiam quia, si est in inferno, iam habet ultimam pœnam, & est incapax omnis spiritualis beneficii: & est extra omne consortium hominum mortalium, vnde nullis bonis priuari potest per Ecclesiā. Si autem est in purgatorio (nam de beatis nulla est dubitandi ratio) iam non est neque esse potest digna tali pœna; propter quod, licet Ecclesia haberet directam potestatem in animā in eo statu existentem, non haberet illam quoad hunc actum ferendi censuram. Vnde, ut statim dicam, neque indirecte potest illam exercere respectu animarum purgatorij. Neque etiam corpus exanime per se & directe est capax censuræ: cum nec rationis vsum habeat neque obligari per censuras possit, ut emendetur: qui est proprius censuræ finis, ut in superioribus dictum est.

Ex quo sumitur noua ratio, nam censura vel fertur à iure, vel ab homine: illa prior, vel in hac vita contracta est: & sic, quamuis fortasse fuerit occulta, & post mortem declaratur, non tunc censura fertur in mortuū, sed publicatur censure, quam viuus occulte incurreret. Si autem ante mortem non fuit contracta, neque postea potest. Quia iam tunc non alligatur homo Ecclesiasticis iuribus, neque illa transgredi potest. At vero censura, cum ab homine fertur, requirit præuiam monitionem, quæ mortuo fieri non potest. Dices: Contingere potest ut admonitio tempore vitæ facta sit, & ille moriatur, priusquam sententia feratur: ergo poterit in illum ferri, postquam mortuus est. Respondetur, si tantum esset sententia declaratoria, esset quidem id verum, in condemnatoria autem non potest habere locum. Et est aperta differentia, quia illa prior respicit tempus præteritum, & solum declarat delictum commissum, & penam iure ipso illatam, quam propter eam exequi potest iudex, etiam post mortem delinquentis iuxta capacitatem illius. At vero posterior sententia condemnatoria in præsentem, & de nouo pœnam imponit: & ideo requirit tunc actuale iurisdictionem in ipsum, quam habere non potest in hominem iam mortuum. Et præterea, cum hæc pœna medicinalis sit, semper requirit, ut is, in quem de nouo fertur, sit in statu, in quo possit salus, vel fructus aliquis sperari.

Atque

*Basilii.*

*Non potest mortuus directe censuram ligari.*

*Lignano. Nauar. Couarr. Castro.*

*Anima separata est incapax censuræ.*

*Corpus exanime non est censuræ ligabile.*

*Obiectio.*

*Solutio.*



Atque hinc facile intelliguntur aliqua iura, propter quæ nonnulli Doctores aliter loquentur absolute dicentes hominem mortuum posse excommunicari, vel alia censura affici. Ita Richardus in quarto dist. decima octava, articulo quinto, quæst. 4. Et Gabriel, ibi quæstione secunda, articulo secundo, Corollar. quarto post conclus. 2. Et aliqui etiam Canonistæ ita sentiunt: quoniam in capit. Sane, 24. quæstione 2. de Hæreticis dicitur post mortem esse anathematizandos, & condemnandos: ubi ex Conciliis, & ex Diuo Augustino multa referuntur. Cyprianus etiam lib. 1. Epistola 9. propter speciale crimen quendam mortuum excommunicauit: ut refertur in cap. Neque, 88. distinct. & in cap. Si quis Episcopus, de Hæreticis, præcipitur, ut propter quædam delicta Episcopi saltem post mortem eis anathema dicatur: atque eius nomen inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur. Vbi Glossa dicit hoc esse speciale in crimine hæreseos: tamen male exponi textum: nam aperte extendit illam penam ad alia crimina: Et patet etiam ex Concilio Aphricano sub Bonifacio cap. 48. Accedit, quod post mortem durat excommunicatio, si quis fuit in vita ligatus, & ante mortem non fuit absolutus: ideo etiam post mortem interdum datur, & necessaria est absolutio, ut constat ex cap. A nobis, 2. & cap. Sacrum, de Sentent. excomm. Ergo etiam potest de nouo censura post mortem inferri: patet consequentia, tum quia eiusdem rationis est ligatum teneri, vel de nouo ligari: tum etiam, quia eadem ratio est potestatis ligandi, atque soluendi, quia utraque iurisdictionem requirit: Quod sumitur etiam ex cap. Verbum, de Penitent. distinct. prima, imo in dicto cap. A nobis: dicitur, in certis casibus à canonibus denotatis legi, Ecclesiæ ligasse mortuos, & soluiffe.

Sed hæc, si recte expendantur contraria nō sunt, nam in primis fere in omnibus iuribus priori loco adductis sermo est de sententia declaratoria: nam hæretici, vel fautores hæreticorum, & similes, ipso iure excommunicati sunt: & ideo, si post mortem de eorum delicto constet, merito anathematizantur, & suffragiis, ac Ecclesiastica sepultura priuatur: tunc enim non fertur censura in mortuum, sed promulgatur, & obseruari mandatur illa, quæ iam lata fuerat in hominem, dum vivebat. Quanquam enim per mortem hominis excommunicati videatur destrui censura subiectum, & consequenter ipsa censura; iuxta illud, *Destructis nobis destruantur ea, que sunt in nobis*, nihilominus tamen, quia per censuras redundat obligatio in alios, præter eum, in quem directe fertur: & ius aliquod acquiritur ipsi Ecclesiæ, ut hæc seruentur, quatenus post mortem alterius possunt, ideo Ecclesiæ merito præcipitur ut obseruentur: & ad hoc ordinatur sententia declaratoria criminis, & hæretici anathematizatio. Nam ex vi excommunicationis, quam in hac vita hæreticus incurrit, & durat vsque ad mortem habet ius Ecclesiæ priuandi illum suffragiis & sepultura sacra: & hoc præcipit à fidelibus obseruari: quod non tam est censuram mortuo imponere, quam viuus imperare. Tunc autem illa promulgatio, & executio prioris censuræ non ordinatur ad emendationem defuncti, imo ille supponitur iam omnino damnatus, sed ordinatur ad terrorem viuientium, & ad condignam punitionem delicti propter commune bonum. Et quoad hoc deficit etiam in illa pena propria & peculiaris ratio censuræ, & transit in rationem puræ, & iustæ vindictæ.

Adde præterea, per huiusmodi sententiam iuridice, & humana fide proponi Ecclesiæ, illum hominem esse in statu damnationis: ex quo fit consequenter, ut ipso iure & anima eius sit incapax suffragiorum, & corpus eius indignum Ecclesiastica sepultura, non solum propter censuram, sed etiam propter statum. Vnde omnis, qui publice in Ecclesiæ

A decedit in statu peccati mortalis, & cum sufficientibus signis impenitentiae finalis, etiam si nulla censura affectus sit, Ecclesiastica sepultura priuatur, ut constat ex cap. Placuit, 23. qu. 5. & cap. Ex parte, 2. de Sepult. ubi Gloss. verb. *Communicabatur*, plura ad hoc refert. Nam corpus afficitur honore ratione animæ, & ideo si publicè, & in foro Ecclesiæ anima creditur fuisse damnata, merito corpus eius Ecclesiastico honore priuatur.

Præter hæc vero, quæ fieri possunt per sententiam tantum declaratoriam, & executionem censuræ in vita contractæ, existimo posse Ecclesiā propter delicta in vita commissa, etiam si non habuerint censuram annexam, post mortem priuare suffragiis suis, & honore sepulture in loco sacro, etiam si non iudicet, nec declarat talem defunctum fuisse damnatum: nam, si hoc iudicet, res est prorsus indubitata, ut patet ex paulo antea dictis: quia iam tunc adiungitur prioribus culpis peccatum finalis impenitentiae, quod dignum est illa pena; & ratione illius fortasse dictum est primæ Ioann. 5. *Qui videris fratrem suum peccare peccatum ad mortem, non pro illo dico ut orat quis*. Quod vero, etiam sine illa circumstantia finalis impenitentiae cognita, interdum hoc possit iuste facere Ecclesiā, probatur, quia interdum potest Respublica punire post mortem aliqua delicta in vita commissa, quando propter eorum atrocitatem ita expedit ad commune bonum: ergo etiam hoc potest Ecclesiā per penas suæ potestati proportionatas, & quæ conferre possunt ad exemplum, & terrorem aliorum fidelium.

Sicque legimus de D. Gregorio priuasse quendam religiosum defunctum suffragiis, & communi sepultura, propter inuentam apud eum pecuniam, cum tamen non constaret illum fuisse damnatum. Et ad idem induci possunt textus in cap. 2. & 4. de Statu monachor. Et similiter intelligi potest factum Cypriani in dict. cap. Neque, ubi prohibet fieri oblationem & deprecationem in Ecclesiā pro quodam Victore defuncto, eo quod in vita Ecclesiasticum quoddam decretum transgressus fuerat, cui tamen decreto nulla excommunicatio ipso facto erat annexa, quantum ex illo loco colligitur: sed ipse propter commune bonum illam penam imposuit, ut satis indicant illa vltima verba textus, *ut decretum sacerdotum religiose, & necessarie actum, seruetur à nobis*. Et eodem modo intelligo textum in dicto cap. Si quis Episcopus, non enim videtur ibi imposita excommunicatio, quæ ipso iure in vita incurratur, & nihilominus dicitur, *ut saltem post mortem dicatur ei anathema, & nomen eius inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur*. Quanquam etiam dici possit illam censuram ipso iure imponi, ita tamen, ut non incurratur, vel saltem non promulgetur publice, donec peccatum de quo ibi est sermo, plene consummatur. Est autem talis generis illud peccatum, ut non consummatur, nisi in morte, ad similitudinem finalis impenitentiae: nam illud erat peccatum instituendi hæreticos, vel alios similes in hæreses: quæ institutio fit per testamentum, quod tantum per mortem firmatur iuxta lib. 4. & similes, ff. de Admgen. legat. Et ita peccatum illud tunc plene consummatur. Qui sensus probabilis est. Tamen, quia ibi nullū est verbum, quo indicetur, talem censuram ipso facto incurri, addo, posse Ecclesiā talē penam post mortem imponere, ut declaratum est.

Neque hoc repugnat superius dictis, quia tunc non ligatur mortuus directe & in se ipso, sed præcipitur viuus, ne hoc vel illud faciant circa ipsam. Et non fertur præterea illa pena non habet propriam rationem censuræ, quia medicinalis non est, sed tantum ad aliorum terrorem ordinatur. Dices. Viuentes nunquam priuantur suffragiis propter solam vindictam delicti, nisi in ordine ad emendationem, cur ergo priuantur

Potest Ecclesiā mortuū priuare suffragiis licet non iudicet esse damnatum, neque in vita incurrisse censuram.

Gregori.

Cyprianus



Cur mortui  
propter vin-  
dictam ius-  
fragis pri-  
uentur, non  
autem vini:

priuatur mortui? Respondeo, propter diuersitatem A-  
stutus, & periculi. Nam, si mortuus extra gratiam  
decessit, nihil illi amplius nocebit suffragiorum ca-  
rentia, si vero decessit in gratia, nullum ruinæ peri-  
culum potest illi imminere ob defectum suffragio-  
rum, sed solum potest inde fieri, vt eius poena in  
purgatorio diuturnior sit. Et hoc non reputatur ab  
Ecclesia inconueniens, sed iusta poena delicti, & ne-  
cessaria, ad obseruationem Ecclesiasticæ disciplinæ.  
At vero, quamdiu homo in hac vita viuere, semper  
imminet periculum maioris ruinæ, quoad culpam,  
& condemnationem. Et ideo Ecclesia nullam pri-  
uat suo subsidio, valde vtili ad cauendum hoc peri-  
culum in solam culpæ vindictam: sed in ordine ad  
emendationem, & cum aliqua illius spe.

11  
Quid dicen-  
dum de ab-  
solutione à  
censura post  
mortem.  
Palud.

Tandem hinc constat quid dicendum sit ad vlti-  
mā difficultatem de perseverantia censuræ & ne-  
cessitate absolutionis post mortem: eadē enim pro-  
portione videtur loquendum. Quod significauit  
Paludanus in quarto distinct. 18. quæstione prima,  
numero septimo dicens, Si excommunicati sunt mor-  
tui, licet non sit pro eis orandum publice propter scienda-  
lum, si non fuerint absoluti, ab illa tamen, qui credit quod  
sunt mortui: in charitate potest intendi, quod sint partici-  
pes suorum bonorum, quia iam non sunt legati. Sentiret  
ergo censuram per mortem re ipsa tolli, & dissolui: in  
foro autem Ecclesiæ aliquo modo manere: & ea rati-  
one esse necessariam absolutionem. Et Couarru-  
ias dictos. vndecimo, numero octauo, eadem pro-  
portione loquendum censet de censura & absolu-  
tione: & decisionem cap. Anobis, ita intelligendam  
putat, vt constat Ecclesiam militare, nec ligare, nec solu-  
ere mortuos, sed potius declarare eos decessisse legatos, vel  
absolutos, vel certe (vt statim addit) vt intelligamus  
Ecclesiam soluere mortuos, vel ligare, non quoad  
ipsos, sed quoad actus, vel effectus per viuos erga  
mortuos agendos. Solum est aduertendum discer-  
men, nam, quando censura lata est viuente peccato-  
re, licet directe in eum feratur, ex ea tamen redun-  
dat in alios quædam obligatio, quæ permanet mor-  
tuo excommunicato sine absolutione à censura, et-  
iam si contritus, & in gratia discedat, & quoad hanc  
partem non tantum de iustificatione, sed vere permanet in re, & in  
conscientia: quia Ecclesia ita declarauit vim huius  
præcepti. Fuitque ita conueniens, vt censura in ma-  
iori esset timore ac reuerentia, & vt fideles magis  
essent solliciti de obtinenda absolutione propter pe-  
riculum mortis. At vero postquam iam homo de-  
functus est sine censura, non potest in eum directe  
ferri, vt inde in alios redundet, sed solum potest de-  
clarari, si contracta fuit, vel ad summum potest ali-  
qua prohibitio similis viuentibus fieri circa actus  
exercendos erga defunctum: quod certe raro fit, si  
censura non præcessit in vita: & omnino nunquam  
fiet, si defunctus, quantumuis peccator, ante mor-  
tem exhibuit sufficientia signa fidei, & poenitentia, &  
ac obedientie ad Ecclesiam.

12  
Si homo mo-  
riatur ante  
censuram  
contractam  
sub conditio-  
ne impossibili,  
post mortem  
non potest il-  
lam contra-  
here.

Ex quo obiter intelligitur, quotiescunque homo  
moriatur, antequam censuram contrahat sub con-  
ditione impossibili, postea non posse illam incur-  
re, neque indigere absolutione, vel quoad se, vel  
quoad alios. Probatum ex fundamento posito, quia  
ille iam in se est incapax censuræ. Et obligatio re-  
spectu aliorum non redundat, nisi supposito valore  
censuræ respectu eius, in quem directe fertur. De-  
claraturque exemplis, nam, si alicui præceptum sit,  
vt restituat, vel satisfaciatur intra mensem sub poena  
excommunicationis ipsi facto incurrendæ, & ante  
expletum mensem moriatur, ille in censuram non  
incidit viuens, quia necque fuit in mora, nec contu-  
max nec impletur fuit conditio. Quando autem illa  
impletur, iam ille non est capax censuræ, neque ob-  
ligationis prouenientis ex præcepto Ecclesiastico,  
maxime cum illam iam implere non possit. Dices,

debuisset præuenire tempus solutionis, seu obserua-  
tionis talis præcepti, si potuit, & periculum mortis  
præiudicet. Respondetur fortasse debuisset ex ius-  
titia, aut ex alia naturali obligatione, ad quam ille  
actus pertinebat: tamen ex vi illius Ecclesiastici præ-  
cepti non fuisse ad id obligatum, quia lex non plus  
obligat, quam verbis exprimat, illa autem lex so-  
lum voluit obligare infra certum terminum, quem  
ipsa, quantum in ipsa erat, vt sic dicam, concessit ad  
differendam solutionem vsque ad illum, & ante il-  
lum noluit per censuram obligare: nihilque exce-  
pit, vt supponimus, de articulo mortis: ergo ex vi il-  
lius legis non tenetur ad illam anticipationem. Quare  
licet daremus illum peccasse mortaliter, non solu-  
endo ante mortem, nihilominus non incurrit il-  
lam censuram. Fieri autem potest, vt neq. alia ratio-  
ne peccet.

An qui præcepit clericum interfici, & ante executio-  
nem moritur, postea sequuta morte li-  
getur censura.

Hinc etiam sumenda est decisio alterius quæstio-  
nis, quam de eo, qui mandauit, dum viuere  
interficere clericum, & mortuus est, antequam im-  
perium fuerit executioni mandatum: postea vero  
subsequitur executio, an ille mandator incipiat tunc  
ligari excommunicatione lata in cap. Si quis suade-  
te. Illam enim incurrit non tantum, qui per se ipsum  
sed etiam qui sua auctoritate, vel mandato violentas  
manus in clericum iniicit, c. Mulieres. §. Alii vero, de  
Sent. excom. non incurrit autem talem censuram  
statim ac mandatum dat, donec effectus sit subie-  
ctus, quia, si non sequeretur effectus, nec censura  
contraheretur, vt in superioribus diximus: hac ergo  
ratione merito dubitatur, an, si tempore executio-  
nis effectus, sit mandator mortuus, incipiat censura  
ligari. Quam quæstionem late tractat. Vgolin. tab. i.  
de Cens. cap. 17. §. 2. nu. 5. Et quatuor refert opinio-  
nes: ipse vero tandem resoluit mandatorem illum  
non incurrrere censuram: ex quodam fundamento  
legali, quod mandatum morte mandatis extingui-  
tur; ergo quidquid postea mandatarij operatur,  
iam non facit auctoritate mandantis, sed sua volunta-  
te: ergo iam non debet mandanti imputari, & con-  
sequenter ad eum iam non pertinebit censura, quæ  
in mandantem lata est.

Quæ ratio mihi quidem non satis facit: nam quod  
leges disponunt mandatum solui morte mandan-  
tis, §. Rele. Insit de Mandato. intelligitur quoad ob-  
ligationem mandatarij de exequendo mandato: &  
consequenter, quantum ad valorem ciuilem actio-  
nis, prout pendebat ex auctoritate mandantis. Quæ  
duo in proposito locum non habent: quia illud  
mandatum de se tale erat, vt obligationem non in-  
duceret, vt per se constat: ergo quantum ad hoc non  
solvitur per mortem; nam semper solutum erat.  
Neque etiam quantum ad valorem actionis, quæ ex  
illo mandato fuit sublecuta: nam ita valuit, vt fue-  
rit vera clerici percussio, vel occisio, & vt supponi-  
mus: ibi enim non spectatur aliquis valor ciuilis, sed  
realis & physica percussio. Denique mandatum il-  
lud per solam mortem non intelligitur retractatum:  
& ideo inter homines multum mouet ad operan-  
dum, etiam post mortem mandantis. Vnde obedi-  
ens filius, aut subditus retinet, & obseruat præce-  
ptum patris, vel Principis, etiam mortui. Et iniquus  
famulus ex vi mandati domini defuncti, etiam in in-  
iustum sit, prauam actionem exequitur. Nec leges  
ciuiles potuerunt hanc vim auferre mandato, cum  
dicitur per mortem extingui, sed solum ciuilem ac-  
tionem, obligationem, aut valorem. Ratio autem,  
ob quam mandans excommunicatur, non est pro-  
pter ciuilem respectus, sed propter vim motiuam,  
quæ

14  
Impugnatur



quæ est in mandato. Hac enim ratione is censetur committere, qui mandat, ut dicitur in dicto §. Illi vero.

15 Ad do questionem hanc vniuersaliorem esse, quæ ut possit ex illo principio definiri. Quid enim si quispiam sacerdoti dedit venenit, quod eius mortem non operetur vsque ad certum diem, v. g. trigessimum ipse vero, qui dedit, moriatur ante illud tempus. Nonne de hoc eadem questio manet, an post mortem suam, quo tempore alius moritur, censuram incurrat? Et similes casus possunt facile excogitari. Quos omnes definiendos cenfeo ex illo principio, quod homo iam mortuus incapax est censuræ, quæ primo directe in ipsum feratur: nam hinc fit, ut in eis casibus non incurratur censura. Quod in illo exemplo de mandante docuerunt Glossa, Innocent. Abbas, & alij in dicto §. Illi vero; quamuis non omnes nitantur dicto fundamento: illud tamen existimo esse solidum, & vniuersale quantum spectat ad proprietatem, & rigorem censuræ. Ut enim incurratur censura necesse est, ut subiectum sit habile, & capax eius, non solum in eo tempore, in quo dedit causam delicti, ob quod censura incurritur, sed maxime in eo: in quo effectus consummatur. Nam tunc censura quasi inherere incipit: non tamen potest inherere, nisi in subiecto apto: & ideo non potest tunc propria censura contrahi, vel imponi: loquor autem semper de propria censura, quia, si ille mädator in morte nullum dedisset penitentia signum, nec retractasset mandatum, & postea Ecclesiæ constaret publice de illo delicto, posset illum priuare sepultura, & suffragiis, non propter priorem censuram, sed ut publicum & impenitentem peccatorem.

Quando incurratur censura propter peccatum imposita, quod non nisi in morte consummatur.

16 Tandem potest aliquis curiosè inquirere, quum quis censuram incurrit propter peccatū, quod non nisi in ipsa morte consummatur, quando incurrat illam: non enim in instanti mortis iuxta dicta, quia tunc iam non est homo, neque in aliquo instanti, quod signari possit ante mortem, quia in nullo signabili tale peccatum est consummatum, neque in tempore immediato ante instans mortis, quia in illo nihil incipere potest, ut Philosophi docent. Respondet tamen ad rem moralem parum hoc referre. Et contendere quis posset, huiusmodi rem moralem posse incipere in tempore immediato ante instans mortis, vel etiam dici posset, posse signari instans aliquod ante mortem, in quo iam vita naturaliter est desperata, & in illo contrahi censuram præferim, quia signari potest instans, in quo iam homo non potest ratione uti, ut respiscat, aut obediens sit Ecclesiæ: & ideo merito dici potest contumacia iam consummata in illo instanti; quid ergo mirum quod tunc incurratur censura? Sed licet hoc posterius speculative defendi possit, mihi tamen videtur huiusmodi penam infligi pro actu, quam diu vita durat, sed in primo instanti mortis incipere vim suam, & obligationem habere: atque adeo neque esse proprie censuram, sed meram penam, quæ ad publicam vindictam, & terrorem aliorum ordinatur, neque directe ferri in ipsum delinquentem eum ligando, sed in alios ratione illius, prohibendo actiones, quibus illi succurrere possent. Quod facile constabit consideranti iura supra citata, quæ in hac specie loquuntur. Et ita clarius expeditur difficultas tacta, nam reliquæ euasiones non difficle impugnari possunt: sed res est leuioris momenti.

Fr. Suarez, Tom. 5.

A Solum adultum & Baptizatum viatorem qui superiorem habeat in terris posse censuram ligari.

Secundo dicendum est. Non omnis homo viator capax est censuræ, sed adultus tantum baptizatus, qui superiorem habeat in terris quoad spirituales potestates. Sententia est communis & clara. Nam in primis ante ætatem adultam nemo potest censura ligari, quia nec capax est delicti, quod sit proxima causa censuræ, neque etiam est capax alicuius obligationis, vel effectus, qui per censuram inferatur. Primum patet, quia omnis obligatio requirit rationis usum. Secundum etiam constat, quia huiusmodi infantes non sunt capaces proprio usu, vel communicatione spiritualium bonorum, ut facile per illa discutendo constabit: imo nec ciuili & humanæ communicationis sunt capaces, ut per se constat. Solum Sacramentum Confirmationis potest eis communicari, & olim dabatur eis Eucharistia. Sed priori sacramento non possunt priuari per modum censuræ: esset enim iniustus, & intolerabilis error. Posteriori vero sacramento priuantur nunc, non per modum censuræ, sed propter reuerentiam debitam tanto sacramento, quæ in tanta multitudine paruulorum, & amplitudine populi Christiani, moraliter loquendo, seruari non posset. Ex quo fit, idem iudicium ferendum esse de omnibus perpetuo amentibus, quia, cum nunquam habuerint rationis usum, eadem rationes in illis procedunt. Et in hoc omnes Doctores conveniunt.

Hinc verò aliqui inferunt, quoties iussu aliquid prohibet sub censura ipso facto incurrenda, non ligare huiusmodi carentes usu rationis, etiam si factum illud prohibitu efficiant, ut si clericum percutiat vel quid simile. Quanquam hoc illatum non solum verum habet in perpetuo amentibus, sed in omnibus, qui tunc carent usu rationis, cum tale factum efficiunt, etiam si & antea habuerint, & postea ad illum redeant: imo licet sit solum quædam actualis ineptitudo, qualis est in dormiente, in ebrio, & similibus, dummodo talis actio non fuerit voluntaria in causa: tunc enim alia est ratio, ut dicemus. Præcise autem ex vi illius actionis in ea dispositione factæ, non potest incurri censura, quia cum non sit libera, non est contra legem. Et ideo vniuersaliter dici potest, carentem usu rationis, quatenus sic affectus est, esse incapacem censuræ.

Ex quo vterius inferunt doctores, quoties iura loquuntur de censuris impuberum, ut in c. 1. & ultimo de Sententia excommunicationis, sermonem esse de impuberibus doli capacibus; id est habentibus eum usum rationis, qui ad peccandum mortaliter sufficiat: nam, cum huiusmodi peccatum sit veluti proximum censuræ fundamentum, necessario supponit radicem eius, id est usum rationis, & libertatem sufficientem ad illud committendum. Quin etiam addunt iuris periti, licet ad incurrendam censuram ipso iure latam sufficiat ætas impuberis doli capacis, de quo sermo est in l. Pupillus 112. ff. de Reg. iur. & fere declaratur in sensu à nobis exposito: ut tamen ab homine inferatur, id non satis esse, sed necessarium esse puberem ætatem. Ita docet ex Abbate, Socino & aliis Vgolin. dict. c. 17 §. 3. nu. 5. Et ratio est, quia huiusmodi ætas non censetur sufficiens ad intelligendum ordinem iudicarium. Propter quod, nec de iure citari potest, nec ad agendum, vel defendendum se in iudicio admitti, iuxta cap. ult. de iudiciis in 6. Et quanquam in aliis causis possit per procuratorem vel tutorem agere: tamen in huiusmodi causa, quæ valde ad animum spectat, non potest ad hoc obligari. Quam quidem sententiam quoad hanc ultimam partem, ita accipiendam cenfeo, ut ad ferendam iuste & secundum debitum ordinem censuram,

Quæstio  
resoluta,  
permanet  
in ratio.

Gloss.  
Innoc.  
Abb.

Perpetuo amentes non sunt censuræ capaces.

Neque illi qui dū actū efficiunt, ratione carent.

Iura loquuntur de censuris de censuris impuberum intelliguntur de rationis capacibus.

Censuræ à iure ferri potest in impuberes, non tamē ab homine. Abb. Socin. Vgolin.

Non est tamen conditio substantialis.



furam, illa circumstantia ætatis puberis requiritur: non tamen inuenio ius, quo reddatur nulla sententia censura lata in impubere: & ideo, si alioqui in re intercedat vera contumacia, & reliqua necessaria ad valorem censuræ, & ex hac parte non censeo esse nullam: & ita illa ætas per se considerata non pertinet ad capacitatem censuræ, de qua nunc agimus. Quod maxime verum habet, & in praxi sæpe habet locum, etiam absque iniustitia, vel indecentia, in censura interdicti: nam, si populus interdictitur, sine dubio comprehenduntur etiam impuberes, si iam sint doli capaces, quatenus iam possunt, vel etiam tenentur sacris interesse, vel ea percipere, humano & rationali modo illis rebus utendo.

*Possime censura ligari propter contumaciam  
præteriam qui in saniam  
incidit.*

**H**ic vero potest obiter inquiri, an qui incidit in insaniam, possit in eo statu censura ligari, propter contumaciam prius habitam, cum rationis usum haberet. Potest autem duplex esse status insanie, vnus perpetuus, & sine spe redeundi ad usum rationis; alter temporalis cum morali spe curationis vel remedij. Rursus censura potest aut lege, aut ab homine ferri. Et de censura quidem iure lata videtur certum, posse incurri tempore insanie. Primum de insaniam temporali est clarum, si esset censura lata per legem, vt, v. g. si ipso facto excommunicetur, qui Missæ aut matutino officio non adfuerit: & aliquis præuidens, vel culpabiliter non præcauens futuram emissionem, sese inebriat, aut somno circa illud tempus tradat, censuram incurrit omittendo, quam tamen non contrahit eo tempore, quo se inebriat, vel somno tradit: quia tunc non est consummata transgressio, nec causa censuræ. Vnde, si casu contingeret illum excitari, vel ad se reuerti, & non omittere, non incurreret censuram, quamuis prius, quoad interiorem culpam, idem peccatum commississet ratione periculi, cui se exposuit. Contrahit ergo censuram eo tempore, quo re ipsa omittit: tunc autem est ebrius, vel actu dormiens, vt in casu supponitur. Idemque erit in casu superius tractato, de mandante interficere clericum, si mandatarius id exequatur, quando mandans est ebrius, tunc enim censuram incurrit.

**I**demque fore existimo: etiam si ille mandans in perpetuam amentiam incideret, quia tunc impletur conditio, sub qua lex censuram posuit, & consumatur eius transgressio: ideoque tunc ex vi legis censura inferitur: estque per accidens quod persona illa eo tempore sana sit, vel amens. Quanquam non nihil difficultatis habeat, quando amentia est perpetua quia censura ordinatur ad emendationem, vt sæpe dictum est: ille autem, qui in perpetuam amentiam incidit, non est capax emendæ, sed reputari potest vt mortuus, de quo iam diximus non contrahere huiusmodi censuram. Nihilominus tamen verum censeo, etiam tunc contrahi, ita vt, si quouis casu, etiam per miraculum, usum rationis ille recuperet, indigeat absolutione. Quia lex generalis est, & sine exceptione, & licet in particulari cesset vel sperari non possit, emendatio intenta per legem, est per accidens: & ideo non impedit efficaciam legis. Nec subiectum illud est ita incapax censuræ, sicut homo mortuus: quia simpliciter est ille homo viator; & est capax aliorum sacramentorum. Vnde ex benignitate Ecclesiæ absolui deberet, non solum, si existimaretur ante amentiam egisse poenitentiam sui delicti, quod est certum, sed etiam si nulla signa poenitentiae dedisset. Et hoc ex parte persuadet ratio facta: quia tunc nullius utilitatis est, quod ille maneat censura ligatus: absolutus autem posset iuuari suffragiis Ecclesiæ

**A**d obtinendum à Deo poenitentiae locum: quia alio quo speciali auxilio, vel prouidentia Dei posset saltem breui tempore usum rationis accipere & illuminari. Vel fortasse interius doluit, quamuis Ecclesiæ non confiteretur: tunc facilius iuuari poterit ad maiorem satisfactionem, & expiationem delicti.

**E**t hinc fit, huiusmodi amentem perpetuum nunquam esse ab homine censura ligandum, etiam si contumacia præcesserit: quia tunc censura non fertur in generali, sed in particulari in hanc personam: & in illa est inutilis ac sine fructu: nam potius tollenda esset, si præcessisset, vt dixi. Non ergo recte faceret iudex huiusmodi hominem ligando: si tamen faceret, factum teneret: quia persona non est absolute incapax, vt dixi, & sufficiens causa intercessit: & ideo nulla interuenit circumstantia, ob quam sententia nulla efficiatur. Imo in sententiis interdicti, vel suspensionis, quæ feruntur in vniuersitatem aliquam, si in ea sint huiusmodi amentes, comprehenduntur quia sicut lex, ita generalis sententia non potest has speciales exceptiones facere: & ideo absolute comprehendit omnes, si capaces sunt. Ex quo tandem constat, quando carentia vsus rationis non est perpetua, non solum valide, sed etiam iuste posse ab homine ferri censuram in eum, qui fuit contumax, etiam eo tempore, quo caret vsu rationis, quia illa dispositio est valde extrinseca, & accidentalis, & non impedit effectum, vel fructum censuræ, & ideo nullo iure tenetur iudex eam circumstantiam obseruare, neque de hoc inuenio aliquam positiuam legem; neque ex sola rerum natura talis obligatio nascitur.

*Censuram non nisi in baptizatos ferri posse probatur.*

**D**einde necessarium esse diximus ad capacitatem censuræ quod homo baptizatus sit, propterea quod censuræ est actus seu effectus spiritualis iurisdictionis ecclesiasticæ, quæ exerceri proprie & directe non potest nisi in baptizatos: nam de his, quæ foris sunt, nihil ad nos, vt Paulus dixit 1. ad Cor. 5. Et cap. Gaudemus, de Diuort. Dixi autem proprie & directe, quia si ad salutem seu fidem, & bonos mores fidelium necessarium sit: potest Ecclesia cogere infideles non baptizatos, vt cum fidelibus familiariter non communiceant, vel vt non cohabitent in eadem domo, aut quid simile. Et eadem ratione, ob reuerentiam sacrorum mysteriorum potest eos cogere ne illis adsint. Hæc tamen non sunt poenæ, nec censuræ, nec fiunt ex directa iurisdictione in illos infideles, sed est veluti defensio quædam innocentium, & religiosa obseruatio, & custodia rerum sacrarum, ad quam habet ius Ecclesia, & consequenter ad ea media, quæ in hunc finem necessaria sunt. Quod à simili confirmari potest ex c. Post miserabilem, de Vt. & in c. In Archiepiscopatu, de Raptorib. At vero directe non habet Ecclesia iurisdictionem in non baptizatos, & ideo non potest illos censura ligare: præsertim, cum illi nondum sint capaces rerum spiritualium, aut earum vsus. Quo fit vt nulla censura, quæ ipso iure lata est, huiusmodi infideles comprehendat, etiam si actum legi contrarium efficere videantur: vt si Iudæus v. g. violentas manus in Sacerdotem iniiciat, non incidit in censuram canonis, Si quis suadente: quia ille non erat subiectus tali legi, neque proprie fuit contumax, aut inobediens Ecclesiæ: quod satis aperte colligitur ex c. Postulasti, de Iudæis.

**E**x quo etiam habetur, posse Ecclesiam censuram ferre in Christianos, vt se separent, aut non communiceant, aut commercia exerceant cum aliquo infideli, in vñdictam alicuius iniuriæ factæ Ecclesiæ, vel alicui membro eius, quando alia via aut ratione delictum

*Amentis potest  
censuram  
iure laici  
contrahere.*

*Etiam si amentia per  
petua sit.*

*Perpetuo amentis non dicitur ab homine ne censura ligari possit tamen tenet.*

*Amentis ad tempus bene potest censuram ab homine ligari.*

22

1. Cor. 5.

44



delictum punire non potest: illud tamen non est ferre censuram in ipsum infidelem, quin potius ex ipso modo ferendi talem censuram colligitur non posse ferri directe in ipsum infidelem. Et de cōtrario colligitur, ex vi censuræ latæ ipso iure in violentum percussorem clerici, non obligari fideles ad vitandum infidelem violentum percussorem clerici: nam illa censura solum in ipsum percussorem directe lata est, & nisi illum prius comprehendat, non redundat obligatio in alios: & ideo in dicto capite precipitur, ut ab homine imponatur talis obligatio sub censura ipsis fidelibus. Quod in omnibus similibus canonibus obseruandum est, ut videlicet in cap. Iudei. 2. de Iudeis, & in capite *Post miserabilem*, & ca. de viris.

25 *Enoc sensu dicunt interdum auctores indirecte posse infideles excommunicari. Sed res iam constat, neque in ea occurrit difficultas alicuius momenti. Possuntque legi circa hanc conditionem Glossæ, & Doctores circa iura citata, & Summistæ verb. Excommunicatio. Simancas in Catholicis instit. c. 31. numer. 6. Couarruu. dict. cap. Alma, par. 1. in principio, Nauarr. in Manuali cap. 27. num. 3. & in cap. In quorumdam, de Iudeis, notab. 8. num. 7. & de Iubilæo notab. 31. num. 48. & Ioann. de Lignano, tractatu de Cens. §. 9. Vbi improprie dicit eum, qui excommunicatur, debere esse Catholicum: sed nomine catholici baptisatum intelligit: nam certum est apostatas baptizatos, qui heretici sunt, vel ad Iudaismum, aut Paganismum transiunt, posse censuris ligari: nam ratione characteris semper manent subditi Ecclesiæ: & tamen proprie catholici dici non possunt, cum veram fidem non habeant, neque illam profiteantur. Et de conuerso Catechumenus dici potest Catholicus, & tamen censura capax non est, quamuis recludi conus in ca. Eos, de Consecrat. dist. 4. quem nulli alij imitantur, dixerit catechumenum p. ne excommunicari; sed sine fundamento, quia fides, vel sanctitas sine baptismo non confert iurisdictionem; de qua re diximus supra in tertio tomo agentes de Baptismo.*

16 *Vltimo diximus necessarium esse, ut superiorem habeat in terris, qui censura ligandus est. Quod ex eodem principio nascitur: nam iurisdictioni, & subiectio correlatiua sunt: sicut ergo in ferente censuram requiritur iurisdictioni, ita in eo, in quem fertur, necessaria est subiectio: oportet ergo, ut superiorem habeat in huiusmodi genere potestatis, seu iurisdictionis spiritualis.*

27 *Ex qua conditione colligitur primo, Pontificem summum non comprehendendi inter eos, qui possunt censura ligari: quia non habet superiorem in terris neque alicui spiritualiter subiectus est, ca. Cuncta per mundum, 9. q. 3. Vnde non solum ab homine (quod notum est) sed etiam a iure, censura ligari nequit: quia simpliciter neque ipsi iuri humano subiectus est: quia æqualem habet potestatem. Quare licet, quoad vim directiuam obligari possunt aliquo modo iure communi, in eo modo quo princeps obligari potest legibus a se latis, tamen quoad vim coercitiuam, ad quam pertinet censura, ligari minime potest. Vnde etiam contingeret in hæresim incidere, non esset ipso iure excommunicatus, de quo latius alibi: lege Bellarmin. lib. 2. de Rom. Pont. c. 12. & sequentibus, præsertim in 30. Et Nauarr. in cap. Nouit, de Iudiciis, notab. 3. n. 78. & 142. & ca. 27. n. 13. & Maiol. de Irregular. li. 2. ca. 4. nu. 8.*

28 *Deinde colligitur solum summum Pontificem hac ratione excludi, ne ligari possit: omnes enim alij baptizati homines, & adulti, cuiusunque ordinis, sexus, aut dignitatis existant, capaces sunt censuræ, capacitate scilicet remota, ut ita loquar de qua nunc agimus. Capacitas enim proxima per delictum, vel contumaciam consummatur (de qua iam diximus) capacitas autem remota existit in omni homine*

Fr Suarez tom. 5.

A ne, qui ita est subiectus alteri, ut si in delictum proportionatum censura incidat, possit ab aliquo alio censura ligari. Et hoc modo constat omnem hominem præter Pontificem summum, esse capax censuræ: quia quicumque ille sit, habet superiorem in spiritualibus, & habentem in eum iurisdictionem ad hunc actum, saltem ipsum summum Pontificem. Quod satis constat ex dictis supra de habentibus hanc potestatem: nam hæc duo correlatiua sunt. Constat etiam ex usu Ecclesiæ & Pontificiis decretis, omnium ordinum fideles, etiam Imperatores, Episcopos, & Cardinales, & c. subiaci his censuris.

Solum est obseruandum, quoniam supra diximus agentes de homine qui potest censuram ferre sub homine comprehendendi hominum congregationem eadem proportionem intelligi hic posse, cum dicimus omnem hominem alium a Papa ligari censura posse, non solum singulares personas, sed etiam quamcumque congregationem comprehendendi: id est generaliter absque vlla limitatione: quia nulla est, quæ superiorem non habeat, etiam si Concilium generale sit, dummodo ipsummet summum Pontificem non includat. Addenda vero est illa iuris moderatio, quod congregatio non est capax omnis censuræ, sed suspensionis tantum, & interdicti; nã excommunicatio in communitatem ferri non potest, ut suo loco dicemus. Quæ moderatio etiam ad singulos homines suo modo extendi potest. Nam licet absolute quilibet homo sit capax censuræ alicuius, non tamen omnes omnium: nam suspensio propria est clericorum: quia supponit potestatem aliquam spirituales; alie vero communes omnibus sunt. Itẽ, licet omnes sint capaces censuræ, non tamen omnes equaliter secundum hunc subiectio nis respectum: nam vnus pluribus subiacitur, quam alius, & ita a pluribus ligari potest: & hac ratione secundum hunc respectum habere ampliorem capacitatem censuræ.

30 *Omnes tamen in hoc conueniunt, quod tam a iure, quam ab homine censura ligari possunt. A iure quidem, si de illis in particulari loquatur, vel etiam si generalis sit constitutio, & in eodem iure non contineatur exceptio, qualis est illa, quæ continetur in cap. Quia periculosum, de Sent. excomm. in 6. vbi declarat pontifex Episcopos ex vi generalis constitutionis, aut sententiæ, vel mandati, ipso iure non ligari, nisi de ipsis expressa mentio fiat. Ex qua exceptione constat, omnes alios, quibus hoc privilegium concessum non est, ligari. An vero sub illa comprehendantur Cardinales non Episcopi, alterius considerationis est. Vnde Nauarrum, de Datis & promissis, nu. 10. & Vgolinum late d. c. 17. §. 5. Ab homine autem vnusquisque potest ligari respectiue ut sic dicam, id est quilibet a suis superioribus talẽ iurisdictionem habentibus. Qui autem sint hoc vel illo modo subiecti aliis, vel quot, & quibus modis possit hæc subiectio introduci vel auferri in superioribus, agendo de iurisdictione necessaria, sufficienter tactum est: & in sect. 2. pauca addemus.*

Tandem ex dicta assertionem, & conditionem constat, eum, qui censura affici potest, debere esse distinctum ab alio, a quo possit ligari, quia sibi ipsi non potest esse subiectus. Quæ proportionali ratione diximus supra, eum qui fert censuram, debere esse distinctum ab eo, in quem illam fert, quod in idem redit, quia hæc correlatiua sunt: & ideo de hoc puncto sufficiunt superius dicta.

)(

29 *Non omnes homines omnium censurarum sunt capaces. Concilium generale est censura obnoxium, si Papam non includat.*

Nauarr. Vgolin.

31 *Non potest idem in se ipsum censuram ferre.*



## SECTIO II.

*An is, qui censura ligatur, debeat esse persona certa, & nondum per censuram ligata: ubi de iteratione & multiplicatione censuræ in eadem persona.*

<sup>1</sup>  
Censuram  
debere ferri  
in certam  
personam



Va diximus in sectione precedente, pertinent ad capacitatem censuræ quasi remotam: hic de duabus aliis conditionibus, ut actus censuræ valide feratur necessariis, dicendum est. De quibus communiter tractant doctores, & obiter petunt nonnulla puncta moralia. Prima conditio est, certitudo personæ, in quam fertur censura. Secunda fingi possit, quod non sit censura ligata.

Circa primam dicendum est, ut censura actu liget præter hæc tenus dicta requiri ex parte eius, in quem fertur, quod in eum certa ac definita intentione dirigatur. Ratio est: quia actio non habet effectum nisi in determinato subiecto: hæc autem actio, cum naturalis non sit, sed humana, non determinat subiectum nisi ex intentione operantis: & ideo sicut supra dicebamus, ad valorem censuræ necessariam esse ex parte ferentis intentionem ligandi, ita hic dicendum est necessariam esse intentionem ligandi hunc in particulari.

<sup>2</sup>  
Non est ne-  
cesse censurā  
ferri in cogni-  
tam aut di-  
scincto signi-  
ficatam per-  
sonam.

Dices interdum ignoratur persona, in quam fertur censura, & consequenter non potest in illam definite ferri. Respondetur in primis, cum hanc conditionem requirimus, non esse sensum, censuram debere ferri in unam tantum singularem personam: potest enim simul ferri in plures, in omnes tamen definite, ita ut singulis Philosophico more loquendo, singulæ censuræ multiplicentur. Neque etiam necesse est, ut feratur in personam, vel personas distincte designatas, sed satis est, quod confuse, sub aliquo tamen certo respectu, indicent: ut, cum fertur censura in eos, qui tale furtum commiserunt: quo sensu potest hæc conditio extendi ad eam censuram: quæ iure vel statuto fertur, ut per se constat. Nam, licet dum hæc leges feruntur, nullam certam personam designent, tamen non vage, sed determinate, & distributive omnes obligat: & similiter censura ad omnes fertur sub conditione, quæ conditio, cum impletur in certa aliqua ac determinata persona impletur, & ita in illam operatur lex talem censuram, & non in aliam. Hoc ergo modo semper fertur efficaciter ad personam in se determinatam, est nobis ignota sit.

<sup>3</sup>  
Sententia  
vage lata est  
nulla.

Tunc autem diceretur censura sententia vage ferri, quando iudex sententiam proferret excommunicando unum ex patratibus delicti supponendo eos esse plures & nullum in particulari designando: tunc enim esset inepta sententia, & prorsus nulla, utpote continens intolerabilem errorem, & aut procedens ex insufficienti intentione ad habendum effectum vel certe insufficienter illam pronuncians, & declarans, cum tamen hoc etiam necessarium sit ad talem effectum, ut in superioribus dictum est. Quod etiam confirmari potest ex simili doctrina de sacramentis: nam si intentio non sit satis determinata, & per formam explicatur cum sufficienti determinatione subiecti seu materiæ circa quam forma, vel sacramentum versatur, nihil fiet, ut in superiori tomo disp. 13. sect. 3. concl. 4. & explicando formas Baptismi, Confirmationis & Eucharistiæ dictum est: eadem autem ratio est in præfenti, quantum spectat ad necessitatem determinati subiecti, ut moralis effectio sequi possit.

*Possitne quis duplici censura affici.*

<sup>4</sup>  
Solum potest interrogari circa hoc subiectum censuræ, an necesse sit eum non esse censuram ligatam, ut deinde ligetur. Quod quidem nullam rationem

Plures cen-  
suræ diversæ

A dubitandi habet, quando censura sunt diversarum rationum. Potest enim excommunicatus suspendi, vel interdici, & conuerso: quia, cum hæc poenæ sint diversarum rationum, nihil impedit, quo minus in eodem subiecto suo modo infirmit, seu quod eidem personæ imponantur: non solum propter diversas causas seu delicta, ut facillime accidere potest, sed etiam propter idem delictum, si eius gravitas tanta sit, aut ad eum statum contumaciæ perueniat, ut omnem hanc poenam mereatur. Et hoc modo est frequens in usu Ecclesiæ aggravare, seu multiplicare censuras crescente contumacia, & interdum simul ferri possent ob atrocitatem delicti, sicut in iure ferri videntur in Extrauag. 3. de Privilegiis.

Rursus in censuris eiusdem rationis non est dubium, quin propter diversas causas possint in eandem personam ferri: si quis enim propter unam inobedientiam excommunicatus est, si in alia re sit etiam inobediens & contumax, poterit iterum excommunicari, nam potestas & iurisdictio non est extincta per unum actum, sed integra manet, & causa est sufficiens, & ex parte subiecti nulla est repugnantia: quæ enim assignari potest? Dices, quod is, qui priuatus est omnibus bonis, quibus per Ecclesiam priuari potest, non potest iterum eisdem priuari. Vel si physice loquamur, quia duo accidentia eiusdem speciei non possunt esse simul in eodem subiecto: & præsertim duæ priuationes eiusdem numero forme. Sed hæc nihil obstat primo quidem, quia moraliter hæc considerando, censura non se habet ut pura priuatio, sed veluti quædam positiva causa, & vinculum inducens, & cogens ad hanc priuationem: sic enim iura loquuntur de censuris, ut de quibusdam vinculis, quibus homines ligantur, ut patet in ca. A nobis. 2. & aliis, de Sent. excomm. Nihil autem vetat, quominus plures causæ, & vincula adici possint ad eandem priuationem inducendam: sicut homo potest pluribus præceptis obligari ad abstinendum ab eodem actu, quæ si pertineant ad diversas causas, seu virtutes, propriissime efficient diversæ vincula, ut v.g. præceptum Ecclesiæ, vel præceptum de voto seruando. Item potest quis ad mortem condemnari diuersis sententiis, propter diuersa delicta. Item est optimum exemplum de pluribus peccatis mortalibus: nam licet primum omnino priuet gratia Dei, nihilominus secundum quantum est, ex se illa priuat, & vel propriam maculam inducit, vel ita priorē augeat, ut duobus æquiualeat per duplicem respectum ad duo peccata. Denique etiam Philosophi dicere solent, priuationem totalem per respectum ad causam posse esse maiorem, vel minorem: ergo multo magis secundum estimationem moralem poterit multiplex reputari, per habitudines ad diversas causas, seu sententias. Quod vero obiciebatur de accidentibus solo numero diuersis in eodem subiecto, neque physice est in vniuersum verum, quando accidentia ordinantur ad effectum aliquo modo dissimilem, ut alibi diximus; neque in his moralibus affectionibus, aut denominationibus illud principium procedit, quia cum sint solum respectus, vel denominationes relictæ ex actibus intrinsecis, sicut illæ actiones possunt multiplicari, ita & huiusmodi velati accidentia moralia. Sicut potest quis esse bis doctor in eadem facultate.

Itaque dubium non est, quin affectus semel una censura, alia simili propter aliam causam interdum ligetur. In quo etiam concordant Theologi, & Canonistæ, ut videre licet in Bonaventur. in quarto distinct. 18. 2. p. distinctionis, quæst. 4. Gabr. ib. quæst. 2. art. 2. conclus. 5. Richard. ibid. artic. 5. q. 2. Alenf. 4. p. q. 2. 2. membr. 1. art. 5. Soto d. 22. q. 2. art. 2. conc. 3. Item tenent Glossæ, & Doctores in capite, Ita quod rursus, de iudicis, ubi specialiter videndus est Abbas, & Nauarr. circa glossam victimam, notab. 11. Item in cap. Quicumque, ver. Incurrant, eod. tit. in 6. & in 6.

<sup>6</sup>  
Bonan-  
Gab.  
Rich.  
Alenf.  
Soto.



## Secl. II. Vtrum Censura bis in eandem personam, &c. 101

& in c. Engelrudam. 3. q. 4. Quo ad hoc confirmandum videntur Alensis, & alij. Sed inde non sumitur efficax argumentum, quia illa crebra anathematizatio potuit esse, vel iterata denunciationem eiusdem censuræ, ut paulo infra dicemus, vel quia successiue sæpius illa mulier excommunicata fuerat, non permanentibus simul pluribus censuris, sed iterum incidendo in contumaciam post absolutionem priorem. Qui modus loquendi frequentius in hoc sensu accipitur, cum dicimus aliquem sæpius fuisse excommunicatum. Alia sunt clariora iura, de quibus statim.

Difficultas vero superest, an in eadem causa possit eadē censura in specie iterari, ita ut vere multiplicentur. Item an ab eodem iudice, vel solū à diuersis. Nam ex dictis autoribus quidam indefinite loquuntur, & indistincte. Vnde, cum doctrinam tradant, videntur vniuersaliter loqui. Alij distincte explicant, posse multiplicari censuras propter diuersas causas, & tacite videtur alium modū excludere. Vnde Alensis, tot (inquit) sunt inferri excommunicationes, quot emergunt causas, propter quas debet inferri excommunicatio. Et Bonau. distinguit inter iterationem eiusdem censuræ, & adiectionem nouæ: & primum dicit fieri in eadem causa ad maiore confusionem: hoc autem propter nouam, & distinctam causam. Vnde concludit idem, quod Alensis. Et idē sentit Rich. præsertim in argumento. Sed contra, Citatque cap. Cum pro causa, de Sentent. excom. Gabr. vero distinctius loquitur, dicens, Ab eodem iudice posse multiplicari censuras in diuersis causis: tamen à diuersis iudicibus, aut iuribus, tam in eadem, quā in diuersis causis, indicans ab eodem iudice non posse multiplicari censuram siante eadem causa. De iure autem non fecit mentionem in priori membro, quia per se notum est ex vi eiusdem iuris non multiplicari censuras, in eadem numero causa: quia lex non repetit suam actionem. An vero in eadem causa secundum speciem multiplicata secundum indiuiduū ex vi iuris multiplicetur censura, habet difficultatem statim tractandam. Deniq; Soto vltra prædictos addere videtur, etiam in eadē causa, & ab eodē iudice circa eandem personā multiplicari censuras eiusdem rationis, propter perseverantiam in eadē contumacia. Sic enim ait, Excommunicatus potest iterū excommunicari, non solum propter nouū crimen, verū & propter idem, aggravatū censuris ad maiorem terrorem, & confusionem, &c. Vbi licet non exprimat aperte ab eodem iudice: sine dubio tamen hic est eius sensus, nam in similibus casibus ab eodem iudice solent censuræ aggravari.

Verumtamen animaduertendum est ad multiplicationem censuræ nō satis esse, quod pluries aliquis denunciatur, seu publice in Ecclesia anathematizetur: quia aliud est denunciari, aliud censura ligari: nam denunciatio non addit nouū vinculum, ut dixit Pontifex in capite Pastoralis, S. Verum, de Appellatione. Et ideo, quamvis denunciatio multiplicetur, non sequitur censurā multiplicari. Quod bene notauit Nauarr. in dict. ca. Ita quorundam, ita exponens textū illum, & cap. Ad liberandum, de Iudæis. Qui reuera est proprius illorum sensus. Item optimum argumentum à posteriori est, nam qui pluries hoc modo denunciatur, non indiget pluribus absolutionibus, imo, si à superiore facultatem petat, ut absolui possit, necesse non est, ut explicet illam multiplicem denunciationem, quæ accidentaria est: esset autē necessarium, si multiplex esset censura, eam declarare ut statim diceretur. Itē ob eandem causam excommunicatus à iure, & denunciatus ab homine, non est bis excommunicatus, & ideo duplici absolutione non indiget. Atque hoc modo fieri existimo, quoties ab eodem iudice, ob eandem perseverantem contumaciam in eodem delicto, censura aggravari dicitur per multiplicem promulgationē, Fr. Suarez. Tom. 5.

A seu denunciationem anathematis: non enim tunc multiplicatur censura, neque ille indiget multis absolutionibus. Imo nec fieri potest, ut absolatur ab illa censura, quatenus semel denunciata, ut sic dicam, & quod maneat secundum aliam rationem, vel denunciationem: est ergo tunc vna tantum censura. Quod satis constat ex usu Ecclesiæ. Quocirca, licet speculatiue rem considerando, non appareat clara repugnantia in hoc, quod ab eodem iudice circa eandem personam, in eadem causa, id est propter idem delictum, mutato solum statu causæ per augmentum contumaciæ, censura multiplicetur secundum eandem speciem, tamen moraliter rem considerando, (ut expedit) opinor id nunquā fieri iuxta usum Ecclesiæ: ideoque posse dici absolute nō posse, vel saltem non debere fieri.

B At vero è conuerso, quando diuersi tituli cōcurrunt ad ferendam censuram, ita ut vnusquisq; per se sufficiat, & ex intentione iudicis illam operetur, tunc non solum à diuersis iudicibus, sed etiam ab eodem, nec solum successiue, sed etiam simul: imo non solum diuersis sententiis, sed vna & eadem vtrumque delictum exprimente, possunt censuræ circa eandem personam multiplicari. Hæc omnia ex iure probari possunt: nam in cap. Officij, de Sent. excom. supponitur quidam esse excommunicatus propter plures excessus à pluribus prælatis in eum potestatem habentibus: & significatur, à nullo eorū posse absolui, scilicet integre & omnino: nisi alteri etiam satis fecerit, & ab eodem simul absolatur. Et in c. Capitulum sanctæ Crucis, de Rescript. refertur, excommunicationem, & suspensionem, bis latam esse in eisdem, à diuersis iudicibus, propter diuersas causas. Et in Clem. 2. de Sent. excom. excommunicatio noua fertur in eos, qui contra priorem publicam excommunicationem, admonitionem, sacris inter sunt: sicut enim sacerdos excommunicatus celebrans irregularis fit, ita excommunicatus, & publice denunciatus propter aliquod delictum, agens tali modo contra excommunicationem, noua excommunicatione ligatur, adeo diuersa, ut hæc sit ad Papam referuata, quamuis prior non fuerit.

C Ex quo textu colligere licet, posse aliquem propter diuersas causas excommunicari ab homine, atque etiam bis à solo iure: quod est manifestum, quando iura sunt diuersa, & de rebus distinctis: nihilq; obstat, quod ab eodem legislatore lata sit, ut per se notum est. Et eadem ratione idem accidere potest in sententiis latis ab homine, ut sumi etiam potest ex vnica Extrauaganti de Schismaticis, in illis verbis, Plurimum excommunicationum sententis innodauit. Et ratio omnium clara est, quia, ut censure multiplicentur, sufficit causarum multiplicatio, siue potentia agens sit vna, siue multiplex: nā & à multis, & ab vna possunt plures effectus, & actiones prodire.

Quod verò per vnā sententiam ab eodem in eundem prolata, si tituli sint diuersi, plures etiam censuræ hiant, sumitur ex c. Cum pro causa, de Sententia excommunicationis, ibi, Si vobis confiteris Archidiaconum ob duplicem causam excommunicatum fuisse, &c. ibi enim dicitur, absolutum ab illa sententia secundum respectum ad vnā tantum causam, nō esse absolutum à censura fundata in alia causa: signum ergo est censuras fuisse diuersas, cum potuerit vna auferri, & alia manere. Verum est ibi non dici expresse priorem absolutionem fuisse validam, sed illum mansisse excommunicatum, donec pro alia causa satis faceret: tamen, cum Pontifex non requirat nisi satisfactionem pro alia causa, supponere certe videtur aliud vinculum fuisse ablatum. Ratio vero est, quia licet illa sententia verbis videatur vna, significatione tamen & efficacia est multiplex: & ideo potest plures effectus operari: licet, cum quis vnica forma plures baptizat, plura cōficit sacramenta, & plures effectus confert. Similiter, si quis vno verbo



verbo absoluat à pluribus censuris, plura vincula A tollit, vnde passim possunt dici plures solutiones: quamvis actiue vna absolutio videatur.

Oportet tamen, vt dixi, singulos titulos seu causas excommunicandi per se sufficientes esse: alioqui non erunt plures, sed partialiter componentes vnam causam totalem, cui censura vnica respondebit. Nec satis erit in se esse sufficientes, sed oportebit, vt tales assumi, ex intentione ferentis censuram: quia sententia non operatur vltra intentionem iudicantis. Vnde necessarium etiam est, vt talis intentio sufficienter in sententia exprimat: quia alias odiosa sententia in mitiorem partem explicanda erit. Tunc autem maxime videtur hoc constare, quando sententia magis est denuntiatiua seu declaratoria, quam illatiua censuræ. Et talis videtur fuisse in casu dicti. c. Cum pro causa, nam duæ causæ ibi numeratæ, scilicet violenta manuum iniectio in clericum, & violatio immunitatis Ecclesiæ, tales sunt, vt vnaquæque habeat suam censuram ipso facto annexam: & ideo, qui in vtroque criminofus declaratur, duplici censura innodatus id nunciatur, etiam si vnica sententia, seu denunciatione id fiat. In censuris vero ab homine illatis rarius id accidit. Quando vero circa singulas causas diuersæ, & sufficientes præcesserunt monitiones sub comminatione talis censuræ, & circa singulas præcessit sufficiens contumacia, tunc licet per modum vnius videatur ferri sententia de omnibus: re tamen vera accommodatur materia, & rei subiectæ, ac proinde plures censuras operatur. Si vero aliter fieri contingat, censura erit vna respiciens plures illas causas per modum vnius, quæ proinde auferri non poterit, neque in totum, neque ex parte præcedente sola satisfactione pro vna causa, nec per absolutionem in illa satisfactione fundatam, sed erit nulla absolutio, nisi adæquate omnes illas causas respiciat, vt sumitur ex Abbate, & aliis in dict. c. Cum pro causa.

Abbas.

13  
Pro eadem materiali causa possunt à diuersis superioribus diuersa censuræ ferri, Abbas.

Præterea addendum est, à diuersis iudicibus, seu superioribus posse in eundem distinctas numero censuras ferri propter causam quodammodo eandem, & quodammodo diuersam: nam materialiter apparet eadem, formaliter autem diuersa esse videtur. Hoc patet primo, quando vna censura est à iure, & alia ab homine. Potest enim aliquis simul, & pro eodem delicto, à iure, & ab homine excommunicari: vt notauit Abbas in capite Grauem, de Sententia excommun. numero quinto, quamquam iura, quæ afferunt, id non probent: tamen, cum ius non adimat homini potestatem, vel iurisdictionem, poterit ipsæ censuram ferre, non obstantem censura iuris, si ad terrorem vel exemplum aliorum ita expedire censuerit. Tunc autem, licet delictum vnum esse videatur, contumacia formaliter est diuersa: nam censuram à iure latam incurrit quis, hoc ipso quod ius transgreditur: Vt vero postea ab homine ob idem delictum excommunicetur, necesse est: vt ab eo moneatur, ei que sit contumax: est ergo ibi alia, & alia contumacia, proprie ac formaliter eas considerando. Idem pari ratione est in sententiis censuræ, latis à diuersis superioribus habentibus propriam iurisdictionem in solidum, si tales sint, vt vltus vnus, vel præoccupatio non impediatur vltus alterius. Tunc enim vnusquisque poterit vti iure suo, & ferre censuram non obstante censura lata ab alio: oportebit tamen vt præcedat respectiua contumacia, vt sic dicam, præmissa propria vnus cuiusque monitione. Idemque proportionaliter est in sententiis à iure latis, si iura, & præcepta sint formaliter diuersa: qualia erunt, si vnum sit ius commune, aliud particulare statutum ordinarij, dummodo constet nouum condere ius, & nouam penam imponere.

nam imponere.

\*\*\*

### SECTIO III.

An multiplicatis transgressionibus legis ipso iure censuram ferentis, multiplicetur censura.



Vperest dicendum, an in censuris latis à iure multiplicetur censura multiplicatis transgressionibus eiusdem legis, vt, si quis bis percussit clericum morali interruptione, bis sit excommunicatus, & sic de aliis. In qua re generalis, & recepta doctrina est, quoties nouum peccatum contra huiusmodi legem committitur, nouam censuram incurri, è contrario vero, si peccatum sit vnum tantum, licet continuata mora, & per varias actiones fiat, vnam tantum censuram incurri. Ita sentit Nauas in Summa, capite sexto, n. 17. & 18. & late Vgolinus tab. 1. ca. 16. §. 3. n. 4. & sequent. vbi multa ad hoc adducit, quæ nec necessaria sunt, nec efficacia. Ratio enim tota consistit in vnitare vel multitudine transgressionum: nam, si transgressio vna est, non potest censura esse nisi vna: quia lex imponit censuram propter transgressionem: ergo, si transgressio est vna moraliter & formaliter, vt sic dicam, etiam censura vna erit. Et propter oppositam rationem, si transgressionibus plures fuerint, etiam censura multiplicabitur: nam lex efficaciam habet contra singulas, siue alia præcesserint, siue non: vt patet manifeste, nam, si quis fuisset absolutus à censura contracta per primam transgressionem, & alia iterum commisset, sine dubio in nouam censuram incidisset: ergo idem erit etiam si prior censura ablata non fuerit: cum ob solam multitudinem in eodem subiecto non repugnent, vt iam ostensum est.

Quot sunt transgressionibus eiusdem legis, vt, si quis bis percussit clericum morali interruptione, bis sit excommunicatus, & sic de aliis. In qua re generalis, & recepta doctrina est, quoties nouum peccatum contra huiusmodi legem committitur, nouam censuram incurri, è contrario vero, si peccatum sit vnum tantum, licet continuata mora, & per varias actiones fiat, vnam tantum censuram incurri.

Nauas; Vgolin.

Totum opus est in declarando, quando transgressionibus sint numero distinctæ, nec ne: de hac enim transgressione nunc agimus: nam quando distinctio est specifica, siue sumatur ex totali diuersitate obiectorum, & actuum, siue ex circumstantiis mutantibus speciem in eodem obiecto & actu, tunc & res facilis est, & transgressionibus non sunt contra idem formaliter præceptum, licet naturaliter vnum esse dicatur, vt statim amplius explicabo. Itaque vnitatis vel pluralitatis numerica transgressionis in hac materia eadem proportionem explicanda est, quæ illam supra declarauimus in ordine ad integritatem confessionis. Quod eo hic erit facilius, quo hæc transgressio præcipue consideranda est in actu exteriori, in quo causa censuræ consummatur.

Quando transgressio est specifica, siue sumatur ex totali diuersitate obiectorum, & actuum, siue ex circumstantiis mutantibus speciem in eodem obiecto & actu, tunc & res facilis est, & transgressionibus non sunt contra idem formaliter præceptum, licet naturaliter vnum esse dicatur, vt statim amplius explicabo.

Duobus autem modis potest hæc vnitatis vel distinctio spectari. Primo ex interruptione, vel continuatione actus: nam, quamdiu actio sine morali interruptione continuatur in ordine ad consummandum eundem effectum, transgressio vnica est, vt si quis per aliquod tempus verberet clericum, vt patet ex c. Cum pro causa, de Sent. excommun. Quando vero moraliter interruptitur actio, & altera postea inchoatur, noua est transgressio. Quæ autem sit interruptio moralis, partim ex mora temporis, partim ex modo & circumstantiis, & ex actionibus interpositis, penandum est, vt alibi latius dixi.

Primo modo spectari potest hæc vnitatis vel distinctio, nam, quamdiu actio sine morali interruptione continuatur in ordine ad consummandum eundem effectum, transgressio vnica est, vt si quis per aliquod tempus verberet clericum, vt patet ex c. Cum pro causa, de Sent. excommun.

Secundo potest hæc vnitatis, vel distinctio considerari ex parte obiecti seu materiæ circa quam versatur peccatum, seu transgressio. Et tunc difficilius est distinguere peccata, quia potest contingere, vt sine interruptione morali aliquis percutiat vnum clericum, & statim incipiat percutere alium: vbi, si respiciamus ad imperium operantis, & continuationem actionis, videtur esse tantum vna transgressio canonis, Si quis suadente. Si autem respiciamus ad personas offensas, videntur esse diuersæ iniuriæ: idemque ob similem rationem erit, si vno ictu plures interficiat. Difficile autem est illas existimare diuersas transgressionibus, quibus distinctæ censuræ respondent.

Secundo modo spectari potest hæc vnitatis vel distinctio, nam, quamdiu actio sine morali interruptione continuatur in ordine ad consummandum eundem effectum, transgressio vnica est, vt si quis per aliquod tempus verberet clericum, vt patet ex c. Cum pro causa, de Sent. excommun.



pondeant: tum, quia illa distinctio est valde materialis respectu transgressoris: ipse enim moraliter vnicam exercet actionem, siue personae sint plures, siue vna: & fortasse non plus peccat in vna transgressionem, quam in alia, si cetera sint paria: tum etiā, quia alias, qui plura vasa argentea ex eadem Ecclesia subriperet, plures incurreret censuras, supponendo, tali sacrilegio ipso facto esse annexam censuram. Dici potest illam esse vnam iniuriam, quia supponimus, vna actione physica, vel moraliter continuata fieri: & eidem personae seu templo, vel collegio subeunti vicem vnius personae offensae: nam vnitas, vel multiplicitas iniuriae ex persona, cui fit, non ex rebus sublatiis sumenda est. Sed contra, nam inde fit, ut is qui actione continuata, v.g. per totam noctem vniuersa vasa, & res sacras ex vno templo subripit, vnicam censuram incurrat: si verò res eadem ex duobus templis eodem tempore, & continuatione actionum furatur, distinctas incurrat censuras: quod non videtur verisimile. Sicut etiam non apparet credibile, quod expilando in eodem ararium eadem actione & voluntate, & in eadem quantitate, si totum illud sit vnius domini, v.g. vnius Ecclesiae, sit vnum sacrilegium, & causa vnius censurae: si vero ararium sit plurimum Ecclesiarum, non per modum vnius, sed per modum plurium, quia vnaquaeque habet ibi partem suam quasi in depositum, vel custodiam, transgressionem sunt plures, quia iniuriis plures sunt, cum sint plures personae offensa: & consequenter censurae. Simili modo dicendum erit, eum qui cum vno excommunicato per horam conuersatur, vnam excommunicationem incurrit: si vero ibi simul adsint duo excommunicati, & cum utroque simul per eandem horam conuersetur, incurrere duas: quod etiam non videtur verisimile, quia moraliter ibi est vna transgressio.

Aliunde autem non videtur posse negari, quin ex variatione personarum cum quibus, vel contra quas peccatur, multiplicentur aliquando transgressiones & censurae, etiam si alioqui actio videatur vna, vel moraliter non interrupta. Vt v.g. si quis interfecit vnum hominem, & statim eodem impetu, & continua successione actionis interfecit alium, sine dubio sunt distincta homicidia, & si censura sit imposita homicidii, duas incurrit: sicut etiam Iurista aiunt, contra eum, qui in eodem congressu alium vulnerauit, & tandem occidit, non dari actionem vulnerantis & occidentis, sed occidentis tantum in *Lillud*, s. ff. Ad legem Aquili. At verò si vnum occiderit, & alium vulnerauit, vtriusque actio in eum dabitur, ut per se notum est. Idem est in peccato adulterij, v. g. si quis post consummatum peccatum cum vna, statim sine interruptione morali ad alteram accedat. Imo in hoc genere peccati non solum respectu diuersarum personarum, sed etiam respectu eiusdem hoc verum habet. Quocirca difficile, est generalem regulam in his rebus moralibus assignare. Pendente enim ex circumstantijs, & ex modo actionis.

In primis tamen considerandum censeo, an actio, qua consummatur transgressio, propter quam incurritur censura, simul fiat, vel per partes sibi succedentes, vel moraliter continuas. Rursus, quando hoc posteriori modo fit: attendendum est, an actiones illae moraliter component vnam, vel vna non sit pars alterius, etiam si continue sibi succedant: nam quando se habent priori modo, vna transgressio consummatur per omnes, vt per se notum est: & id eo vna incurritur censura. Quod vero duae actiones alioqui eiusdem speciei in malitia, continuatione morali factae non component vnam, nec partes inter se vnig censatur, ex duplici capite videtur posse oriri. Primo ex diuersitate subiectorum circa quae fiunt, seu terminorum ad quos tendunt, unde habent suam moralem rationem. Sicut enim Aristoteles in

A Physicis dixit, ad vnitatem motus non sufficere vnitatem temporis sine vnitatem subiecti: ita hos hic dicere possumus, ad vnitatem transgressionis non satis esse immediatam successionem sine interruptione ex parte temporis, quia mutatio subiecti potest sufficere, vt moraliter censeatur inchoari noua actio & transgressio. Et hoc probat exemplum de homicidio, & de vulneratione vnius, & occisione alterius, & idem credo esse de furto, & de quacunque actione iniuriola. Et fortasse extra materiam iustitiae hoc non reperitur: nam, si quis continuata actione nunc comedat carnes, deinde pisces, tempore prohibito, vna est transgressio, licet subiecta seu materia circa quas versatur actio videantur distinctae. Et ratio esse videtur, quia iustitia, & iniuria sunt magis ad alterum: & ideo dixi ibi non vnicum variari subiecta, sed etiam terminos, respectu quorum habent actiones malitiam suam: quod non ita est in materia temperantiae, & in alijs virtutibus, quae respiciunt medium in ordine ad ipsum operantem.

Aliud caput moralis interruptionis, absque mora temporis interposita, est posse, quando prior actus natura sua tendit ad deñitum terminum, in quo consummatur: & ideo qui postea immediate succedit non est pars alterius, sed nouus actus. Quae ratio per se est efficax, & declaratur aperte exemplo duplicis adulterij, vel fornicationis: nam licet fiat cum eadem persona, & sine interruptione temporis quantum fieri potest, nihilominus sunt duae transgressionis sufficientes ad duas censuras, si lex sit lata. Idem opinor fore, si iudex contra Ecclesiam immunitatem per vim extrahat vnum hominem, & statim sine interruptione ad eandem Ecclesiam tendat, & extrahat alium: existimo enim esse duas transgressionis, & incurrere duas censuras: si vero eodem genere continuationis, quis furaretur res Ecclesiae, successiuus, & partialibus apportionibus, existendo esse vnum sacrilegium, & vnam censuram, si lata sit. Et ratio est, quia primum genus peccati tale est, vt circa vnam personam consummetur: & ideo vis vni facta non componit vnam actionem cum vi facta alteri: at vero furtum non habet materiam, vel terminum certum, in quo consummetur. Et per hoc videtur posse sufficienter ferri iudicium de omnibus similibus transgressionibus, quae successiuè tamen immediate, seu proxime fiunt.

Quando vero tota actio simul fit, terminatur verò ad plures personas, vel obiecta, difficilius ibi distinguuntur plures transgressionis, quia, licet actio aequialet multis, retamen vera est vna, & vnum peccatum grauius. Et ita mihi probabile est indicere, v.g. qui simul duos homines duabus manibus teneat, & ita extraheret ab Ecclesia, vnicam censuram incurrit: & idem censeo de illo, qui eodem tempore simul conuersatur cum duobus excommunicatis: quia reuera illa distinctio personarum in tali materia parum confert ad multiplicanda peccata. De casu vero homicidij, quando vno ictu occidit quis plures clericos, res est magis dubia: videtur tamen etiam probabilis haec pars: quia simpliciter vnum est peccatum, & vna transgressio, quae in vna actione consistit, quamuis ex ea resultent plures passiones, vel plura nocumeta, quae potius sunt plures effectus vnius peccati, quam plura peccata.

Obiicies, quia, si illa homicidia separatim fieret, plures incurrerentur censurae: ergo etiam si simul fiat: alioqui concurrentia delictorum ad eorum impunitatem iuuaret: quod est contra rationem, & contra legem. Nunquam plura, ff. de Priuatis delictis. Et confirmatur, quia si plures homines simul concurrant ad eandem actionem, vt sacerdotem occidant, tot incurrunt censuras, quot sunt homines occidentes: ergo & e conuerso, si vna actione plures occidantur, tot incurruntur censurae, quot fuerint homines occisi. Respondetur, primum argumentum

1 4 a quae

Varia regu-  
la ad deter-  
minandam v-  
nitatem, vel  
multiplici-  
tatem actio-  
nis ex parte  
obiecti.

Quid si vna  
actio ad plu-  
res personas  
terminetur.



æquè applicari posset ad plures percussiones simul, vel diuersis temporibus eidem factas: & ad furtum plurium rerum vnica acceptione, vel pluribus, & diuersis temporibus factis. Negatur ergo consequentia, quia cum simul totum sit, est vna transgressio, cum vero separatim, sunt plures. Non solum enim in actionibus moralibus, sed etiam in moribus physicis, & in suo modo in rebus permanentibus, coniunctio, vel separatio efficit rei vnitatem, vel multitudinem.

Neque illa lex, quæ adducitur, est ad rem, tum quia hic nullum delictum manet impunitum: totum enim illud homicidium, vel sacrilegium, puni-  
tur, v.g. excommunicatione; non vero excommunicationibus, quia non sunt plura peccata: solum accidit vt grauius delictum, & æquiualens multis, vna tantum censura puniatur; cum tamen singula delicta leuiora simili censura, & plura simul multis censuris puniantur. Sed hoc non est inconueniens, quia est per accidens, & in exemplis furti, vel vulnerationis constat idem accidere. Tum etiam, quia illa lex intelligitur de pluribus delictis, quæ manent plura, & moraliter differunt specie, vt sunt furtum, & homicidium eiusdem ferui, v.g. nam de his, & similibus illa lex expressè loquitur: hic autem non sunt plura delicta, sed vnum æquiuales multis. Vnde ad confirmationem negatur etiam similitudo, quia vbi sunt plures occisores, sunt plures transgressiones: vbi vero occisi sunt plures vno ictu ab vna persona facto vnica est transgressio.

Itaque hæc pars speculatiue sumpta, videtur satis probabiliter defendi, quamuis opposita teneat Nauarr. in Sum. c. 6. n. 18. citans Ioannem Andream, nullam vero rationem adducens. Contra eum verò ad hominem argumentamur, quia paulò inferius ait; eum, qui vno actu imprecatur mortem alicui familiæ toti, licet in ea sint plures personæ, vnum tantum peccatum committere, quia respicit omnes illas per modum vnius collectiue. Ait etiam, qui vno verbo blasphematur de duodecim Apostolis, vnum peccatum committere. Pari ergo ratione, si vno ictu plures occidat, vnum peccatum committi, quia in omnes tendit per modum vnius: & sicut nocuum in hoc genere peccati deriuatur ad singulos personaliter, & distributiuè, vt sic dicam, ita & in exemplis adductis. Eadem tandem sententiam defendit Vgolin. supra n. 8. non verò adducit rationes, præter supra innuatas, quæ firmæ non sunt.

Philominus tamen, quia hæc pars securior est, ea videtur in praxi sequenda: quia illa simpliciter censetur plura homicidia, & hoc sufficit in ordine ad censuram siue in rigore peccata sint plura, siue non: quia censura fertur ratione iniuriæ factæ tali personæ, vel ratione homicidij, &c. Quod adeo verum est, vt licet peccatum fuerit commissum, si re ipsa non fuit illata iniuria, vel damnum prohibitum, censura non incurritur: ergo & contrario, si iniuriæ fuerunt numero diuersæ ex distinctione personarum, quauis ex eadem actione culpabili procedant, satis erit ad incurrendas diuersas censuras. Denique (quod ad praxim etiam pertinet) vt valida sit absolutio à tali censura, vel facultas impetrata ad absolutionem obtinendam, necessarium erit exprimere in causa censuræ numerum personarum, seu clericorum occisorum. Non est tamen hoc scrupulose extendendum ad omnia in quibus plures personæ vna actione iniuria afficiuntur: quia in aliquibus videtur esse valde accidentarium, vt in exemplo furati depositi: in aliis est minor distinctio moralis, & plures quasi collectiue per modum vnius concurrunt, & in confabulatione cum pluribus simul.

*Quid si aliquis violat legem vno actu habente plures circumstantias, quarum qualibet sub censura prohibetur.*

Ex his facile intelligitur quid dicendum sit, quando aliquis violat legem vno actu habente plures circumstantias, quarum singula sub censura prohibentur, vt si esset lex prohibens sub censura comedere in die ieiunij ante eam horam, & talem cibum, &c. Et respondeo breuiter, si illæ circumstantiæ tales sint, vt mutant speciem actus moralis, tot incurri censuras, quot circumstantiæ violantur: quia propter singulas per se sumptas incurreretur censura, vt supponitur: quando autem simul concurrunt, quamuis materialiter coniungantur, formaliter manet distincta peccata in specie: ergo plures transgressiones, & plures censuræ. Si vero illæ circumstantiæ non mutant speciem, sed aggrauant intra eandem speciem peccati, vna incurretur censura, quia vna est tantum transgressio. Vnde quando circumstantiæ sunt prioris rationis, accidentarium, seu quasi materiale est, quod diuersis legibus, vel vna lege prohibeantur: nam licet dicatur lex vna quasi materialiter, quia vno contextu illa omnia prohibet, tamen æquiualeat multis, & (vt ita dicam) in singulis propositionibus singulas leges tradit.

Exemplum optimum est in Clement. 1. de Sepul. vbi quatuor simul sub excommunicatione ipso facto incurrenda prohibentur, scilicet sepelire in loco sacro hominem publice excommunicatum, vel nominatum interdictum, vel tempore interdicti in casibus non concessis, vel publicum vsurarium. Quæ prohibitiones, saltem quoad tria capita videtur diuersarum rationum: quia sepelire vsurarium non est violare censuram aliquam, sicut est sepelire excommunicatum, vel interdictum. Et hæc duo inter se etiam videntur diuersarum rationum, sicut ipse censura diuersæ sunt: quapropter, si idem publicus vsurarius esset excommunicatus, & interdictus, sepelire ipsum in loco sacro esset triplex sacrilegium formaliter diuersum, & consequenter sufficiens ad tres excommunicationes incurrendas. At vero eandem personam interdictam tempore interdicti sepelire in loco sacro, non esset duplex peccatum, neque ex illo oriretur duplex censura: quia illæ circumstantiæ non variant speciem moralem, sed aggrauant violationem eiusdem censuræ. Sicut etiam in exemplo supra posito de ieiunio, si quis comederet cibum prohibitum, & tempore prohibito sub censura, non ideo incurreret duas censuras, sed vnam: quia totus ille actus vnius rationis est, & illæ circumstantiæ magis, ac magis illum corrumpunt intra eandem speciem.

Vnde non refert, quod singulæ per se sufficerent ad inducendam censuram: quia inde solum colligitur peccatum grauius, & minus graue posse sufficere ad hunc effectum, non vero quod qualibet maior grauitas multiplicet censuram, si non multiplicat delictum. Idemque erit, si quis violenter percutiat sacerdotem, qui etiam est diaconus, subdiaconus, &c. qui ordines per se singuli sufficiunt, vt percussor sit excommunicatus; & tamen non propterea in plures excommunicationes incidit: quia omnes illi ordines concurrunt per modum vnius, & solum aggrauant delictum in eadem specie. Aliud vero dicendum videtur, si quis violenter percutiat eum, qui simul & clericus, & monachus est; nam, sicut diuersarum rationum sunt cōsecrationes, quæ in clerico, & monacho considerantur, ita & prohibitiones illæ, & transgressiones diuersarum rationum videntur. Vnde, licet in eodem cap. si quis iudante, contineantur, tamen vt distincta traduntur, scil. qui clericū, vel monachū, &c. Et hæc videntur sufficere de multiplicatione, seu iteratione censuræ.

SE-



# Sect. IV. Quos liget Censura per leg aut statutum, &c. 105

## SECTIO IV.

Quam ligentur censura per legem, vel statutum lata.

A late disputat, & declarat hoc punctum, & quod primo etiam loco notatum est: quæ omittit, quia magis pertinent ad forum externum.

Quos ligent censura lata iure canonico.

**Q**uæ sunt subiecti quæ ad censuram ab homine per legem vel statutum lata. An cessionem propono, ut explicem nonnullas difficultates occurrentes circa modum, seu titulum subiectionis requisitum ex parte eius, qui ligari debet censura. In qua re fere nulla dubitatio occurrit circa censuram latam ab homine per sententiam particularem: nam, cum illa feratur ad singularem personam, propter speciale delictum, & supposita sufficiente admonitione ad illam facta, constat illam solam personam ligari posse tali censura. Supponi autem debet ex parte illius sufficientis titulus subiectionis: qui titulus respectu Summi Pontificis, vniuersalisissimus sufficit, scilicet esse membrum Ecclesiæ Catholicæ, cuius Pontifex est vniuersalis Pastor. Respectu vero aliorum particularium prælatorum erit habere domicilium in diocesi alicuius: vel esse membrum talis congregationis vel aliquid simile, iuxta superius dicta de iurisdictione in foro poenitentia, seruata proportionem, respectu prælati habentis potestatem ferendi censuram. Ac denique supponi debent aliæ conditiones supra posita, vt talis sententia rite feratur. Quibus concurrentibus nihil obstat, quod is, in quem fertur talis censura, sit extra territorium ferentis: quia censura ferri potest in absentem, vt supra diximus: & censura ligari existentem in alieno territorio, non est proprie exercere iurisdictionem in aliena diocesi, sed habere ibi effectum, & quoad hunc, illum attingere, vt sic dicam, per actionem in proprio territorio rite exercitam: hoc autem non est terminus iurisdictionis excedere: sicut potest superior præceptum imponere subdito in alieno territorio existenti. De qua re videri potest Abbas in c. ult. de Foro competenti, n. 32. & seqq. & ibi alij.

Solum sunt hic obseruanda quædam magis propria huius subiectionis, quatenus respondet iurisdictioni in foro contentioso. Primum est, etiam ratione delicti commissi in propria diocesi, seu territorio, fieri aliquem subditum prælati illius diocesis, & ab eo censura ligari posse: quia hic titulus sufficit ad iurisdictionem in foro contentioso, vt nunc suppono. Et statim magis explicabitur. Secundum est, eum, qui violat censuram alicuius Episcopi, quamuis aliqui subditus eius non sit, quoad hoc fieri subditum, vt per censuram ab eo compelli possit ad eam seruandam. Vt, si quis communicet cum excommunicato ab aliquo Episcopo, etiam extra suum Episcopatum, potest ab illo excommunicari seruata forma cap. Statuimus, & cap. Statutum, de Senten. excom. in 6. Vt enim nunc suppono excommunicatus ab vno Episcopo particulari ita est pro vniuersa Ecclesia excommunicatus, vt vbiq. locorum peccet, & excommunicationem minorem incurrant omnes, qui cum illo communicauerint: q. postea ex professo tractandum est. Ratione ergo illius vniuersalitatis, vt sic dicam, quam censura includit, habet hanc potestatem, & iurisdictionem quilibet Episcopus, vt possit eos, qui dicto modo suas censuras violant, admonere, & sub maiori censura compellere ad eas seruandas: id enim ad efficaciam talis potestatis, & censuræ per eam latæ, necessarium est. Et ita insinuat in dictis c. Statuimus, & c. Statutum. Tertium obseruandum est, quod licet per mutationem domicilij mutetur subiectio, & iurisdictione: tamen, si citatio præcessit, ex vi illius ita confirmatur quoad hunc effectum subiectio, vt licet postea domicilium muret, quis possit per censuras compelli ad comparandum, & excommunicari, v. g. si contumax sit, vt notauit Abbas in capite vltimo de Foro competenti num. 6. & sequentibus. Vbi

Misis ergo censuris, quæ feruntur per sententias iudicum, circa illas, quæ feruntur per leges, nulla est difficultas, de iis, quæ feruntur iure canonico, vel legibus Pontificiis, nam, quantum est ex parte subiectionis, obligant, vel obligare possunt omnes baptizatos: quantum vero est ex parte territorij, vniuersum mundum complecti possunt. In effectum vero, seu in actu, tantum extenduntur, siue quoad personas, siue quoad prouincias, quantum verba legis declarant. Et ita nihil aliud admonere oportet, nisi vt verba legis attente legantur: & stricte sumantur, quantum proprietates eorum permiserit. Circa quod etiam obseruari potest exceptio, quæ in iure habetur de Episcopis, quod generali sententia, vel constitutione non ligetur, cap. Quia periculosum, de Sent. excom. in 6. quod de suspensione, & interdicto, & non de excommunicatione loquitur, vt suis locis videbimus. Addit etiam possunt, quæ Caietan. nus notat verb. Excommunicatio, in principio. Atque hoc ipsum seruata proportionem in statutis particularium prælatorum obseruandum est; tamen, quatenus illa procedunt à iurisdictione particulari ac definita ad certum locum, & certas personas, quædam specialia dubia circa illa occurrunt.

An statutum Episcopi sub censura comprehendat eos, qui extra eius territorium delinquant.

**P**rimum dubium est, an subditus Episcopo violans statutum eius, cui est annexa censura, in alieno Episcopatu, an (inquam) illam incurrat, vt v. g. Episcopus Conimbricensis excommunicat ipso facto omnes raptos, aliquis eius subditus committit illud delictum extra diocesim, dubium est an incurrat illam censuram. Et breuiter dicendum est, illam non incurrare. Ita enim definitur in cap. 2. §. Statuto Episcopi, de Constitut. in 6. Vbi ratio redditur. Quia extra territorium ius dicenti impune non paretur. Statutum enim, per se, & directe non fertur in personas absolute, sed in territorium, vel diocesim pertinentem ad iurisdictionem talis prælati: nam pro illius pace, & legitima gubernatione statutum fertur. Et confirmatur, nam, qui illud delictum committit in aliena diocesi, subditur legibus illius diocesis, & censuris, si quæ sunt propter tale delictum lata: ergo non debet puniri etiam legibus sui Episcopatus quia non punitur idem bis in idipsum. Et ita in hac sententia omnes Doctores conueniunt, vt late eos referunt Couar. in c. Alma, i. p. §. 10. num. 3. Iacobus de Grassi, lib. 4. Decis. c. 8. num. 37. & Vgolin. tab. i. c. 9. §. 3.

Qui circa hoc dubitant, an, si quis delictum illud committat intra territorium, tamen in aliquo loco exempto illius, excusetur à censura ex vi prædicti textus. Videtur enim non excusari, quia textus ille solum excipit delinquentes extra territorium, ille autem absolute non delinquit extra territorium. In contrarium vero est, quia ille locus exemptus quamuis dicatur esse intra territorium, quia intra terminos eius quasi materialiter continetur, tamen formaliter est extra, quia est extra iurisdictionem talis prælati; & ex ea parte intelligere possumus locum illum suis terminis claudi, & esse extra terminos alterius. Vnde in cap. Cum Episcopus, de Officio Ordin. in 6. cum dictum esset, Episcopum in tota sua diocesi habere iurisdictionem ordinariam, cum limitatione subditur, in omni loco eius non exempto pro-

Episcopi non ligantur generali lege.

Caietan.

Couar. Grassi. Vgolin.

Veratessa Intio.



pro posse actus iurisdictionis exercere: quo significatur, licet locus exemptus materialiter sit in diocesi, formaliter vero non pertinere ad diocesim: & ideo non posse in eo actus iurisdictionis exercere. Ferre autem statutum obligans sub censura, est actus iurisdictionis: ergo non potest obligare tale statutum pro illo loco exempto: ergo nec comprehendet subditum in illo peccantem. Et confirmatur, ex cap. primo de Priuileg. in sexto, in verbis illis *Dummodo sit in loco exempto commissum*; in quibus supponitur delictum commissum in tali loco esse extra iurisdictionem Episcopi ordinarij illius diocesis, in qua talis locus existit. Præterea, conf. quia etiam ibi procedit ratio textus in dicto c. 2. de Constitut. Quod extra territorium ius dicenti non patetur. Procedit etiam altera ratio, quod in illo exempto obligant leges alterius prælati, ad quem locus ille pertinet: & ibi peccans incurrit censuram ab ipso latam: ergo non incurrit aliam. Et confirmatur ex Clem. vi. de Prin. vbi specialiter conceditur Archiepiscopis vel Episc. vt in locis exemptis suarum diocesum quosdam actus Pontificales exercere possint, ex qua speciali concessione satis aperte colligitur, alios non posse: sed expresse etiam statim declaratur, vt nullum alium actum iurisdictionis possint ibi exercere: ergo quoad alia omnia ita se habent respectu illius loci, ac si omnino extra terminos diocesis existeret.

Quis dicatur locus exemptus quoad hunc effectum.

Atque hæc sententia videtur mihi iussuienter probari, & rationem dubitandi in contrarium positam ex dictis etiam solutam manere: ideoque illam veram esse censeo. Dummodo locus sit plene exemptus à iurisdictione Episcopali, ita vt non possit Ordinarius in eo leges ferre, incolas illius loci obligantes. Intelligendum item censeo per locum exemptum, non Ecclesias, aut monasteria religionum exemptorum: quæ non nisi ratione talium personarum exempta vocantur: & ideo si aliæ personæ subditæ Episcopis intra eos frangerent statuta Episcoporum, censuras eorum sine dubio incurrerent. Sed loca exempta proprie dicuntur parochiæ aliquæ, aut oppida, quæ quoad ordinariam iurisdictionem Ecclesiasticam exempta sunt. Nec referre censeo, quod ille locus sit alteri Episcopo subiectus, vel Summo Pontifici reuerentius: quia viroque modo priuatur iurisdictione in eum locum prælati, à cuius potestate locus eximitur, qualis est in hac Conimbricensi ciuitate Parochia S. Crucis, quæ exempta est à iurisdictione Ordinarij, & Priori illius conuentus subiecta est, iuxta cap. *Crim olim*, 2. de Priuileg. Atque hanc sententiam esse communem refert Vgolin. d. c. 9. §. 4. vbi etiam alias opiniones tractat, sed nullam rationem earum adducit, quæ ex dictis soluta non sit, ipse vero fusius omnes dissoluit, & nostram opinionem tenet.

Vgolin.

Vgolin. limitatio.

Exemplum.

Addit vero in fine quandam limitationē ad prædictum c. 2. de Constit. in 6. scilicet, qui delinquit in alieno territorio non incurrere censuram per statutum latam à suo Episcopo, nisi peccatum inchoauerit in proprio territorio, nam tunc licet illud consummaverit in alieno, nihilominus in censuram incidet. Adhibetq; exemplum, si Episcopus statutum faciat, vt si quis in sua Ecclesia per duos menses non resederit, excommunicatus sit: tunc enim, licet canonici in alieno territorio degens per plures menses statutum frangat, in censuram incidit. Et ratio est (inquit) quia licet consummetur in alieno territorio contumacia, in proprio inchoata est.

Exemplum ab Vgolino adductum non esse ad rem ostenditur.

Sed in primis exemplum non est ad rem, quia si attentius consideretur, peccatum illud, quatum attinet ad censuras, & ad forum Ecclesiæ, non in alieno territorio, sed in proprio consummatur. nam, vt ex superioribus constat, in ordine ad censuras, & forum Ecclesiæ peccatum consummatur ipso actu, & effectu externo prohibito: in dicto autem exem-

plo, quod prohibetur, est omisio residentia: hæc autem omisio in illa Ecclesia consummatur, vbi residendum erat ex obligatione. Vnde quod dicitur de contumacia inchoata in proprio territorio, & consummata in alieno, non recte dictum est: nam si illa persona per duos menses integros in proprio territorio fuit, & non resedit, ibi inchoauit, & consummauit contumaciam & censuram incurrit: quod vero in alieno territorio diutius in ea perseuerat, impertinens est. Si autem in proprio territorio existens, non fuit absens à sua Ecclesia per duos menses, non inchoauit ibi contumaciam, sed alibi, vbi terminum illum non residendo transegit, nā quando lex præfigit terminum, non inchoatur contumacia, donec terminus præfixus compleatur. Et ideo in huiusmodi legibus simul est inchoari, & consummari contumacia: quamuis autem contumacia interior inchoetur, & consummetur in alieno territorio, tamen, quia ipsa exterior transgressio in proprio consummatur, ideo in ordine ad censuram, potius censetur delictum illud in proprio territorio committi.

Atque hinc tandem videtur sine causa adhiberi limitatio illa, sed potius contrario dicendum fore, ibi committi delictum in ordine ad censuram, vbi exterius consummatur, licet alibi inchoetur: vnde si quis inchoet delictum in proprio territorio: consummet vero extra illud, non incurrit censuram statuti proprii territorij, secus vero si è contrario extra inchoet, & intra consummet. Dico autem in ordine ad censuram qui in ordine ad alias penas, vel effectus, communis est doctrina iuristarum, quando delictum in vno loco inchoatur, & in alio consummatur, delinquentem vtriusque loco fieri subiectum ratione delicti iuxta l. 1. C. Vbi de crimine agi oportet, in illis verbis, *vbi commissum, vel inchoatum sunt*, vbi Interpretes id docent, & Bartol in l. Dominum. ff. de Furtis, & Abbas in c. Postulasti, de Foro compet. n. 25. Et ratio est clara, quia is in vtroque loco vere delinquit: ergo ratione delicti sit illius fori, quantum ad penam, vel iudicij correspondens tali delicto, prout in singulis locis commissio. At vero in ordine ad censuram intercedit hæc peculiaris ratio, quod illa non contrahitur propter inchoationem delicti donec consummatum sit (supponimus enim ita esse latam) & ideo dicimus, præcipue esse attendendum territorium in quo consummatur, etiam si extra illud inchoatum sit. Quod primo probari posset eodem exemplo, prout à nobis declaratum est. Aliaque adhiberi possunt moralia, & frequentia: nam si stuprum, v. g. esset prohibitum in hoc Episcopatu, sub censura, & quis decipiens virginem eam traheret extra terminos diocesis, quamuis peractus, & oscula inchoaret hic delictum, si tamen non consummaret donec esset in altera diocesi, non incurreret. Idem intelligi potest de homicidio, & aliis similibus. Præterea, si quis occidat hominem in Ecclesia existentem, quamuis inchoet delictum extra Ecclesiam, inde proiciendo sagittam, incurreret censuram latam contra homicidam in Ecclesia: secus vero esset si in Ecclesia inchoaret delictum, inde proiciendo sagittam, & extra consummando delictum, ibi occidendo: ergo proportionate loquendum erit de peccato intra, vel extra territorium consummato. Et ratio reddi potest ex superioribus dictis, quia censura non incurritur nisi propter peccatum consummatum in ea specie, in qua sub censura prohibitum est: ergo vbi consummatur, ibi delinquitur in ordine ad censuram contrahendam, vel non contrahendam.

Dices: Ergo, si subditus lathaliter vulnerauit alium in propria diocesi, vbi est censura annexa homicidio, & vulneratus non ibi moriatur, sed in alia diocesi, ad quā discessisset, alter non incurreret censuram: quod videtur difficile creditu, cum delictum totū in pro-

Quid dicendum de illo qui alium vulnerauit in territorio



in proprio territorio fuerit commissum. Et tamen bona videtur illatio, quia ille non fuit homicida in eo loco, ubi illa lex sub tali censura obligabat. In eo casu dubia quid res esse videtur, nihilominus tamen probabilis est in eo incurri censuram, quia, licet delictum quoad effectum ultimum consummatur extra territorium, tamen quoad actionem etiam externam, intra territorium consummatum fuit. Vnde, licet ille non esset subditus ratione delicti posset conveniri in illo territorio, ubi deliquit, non solum de vulnere inflicto, sed etiam de homicidio commissio, imo in alio territorio conveniri non poterit, quia ibi non deliquit: ergo a fortiori per ipsammet legem convenitur & puniatur. Quocirca, licet, ut incurratur censura, expectetur effectus consummatus talis actionis: tamen, quod effectus sequatur in hoc, vel in illo loco, est valde accidentarium & extrinsecum, sed considerandum est, ubi reuera delictum commissum sit.

Ex quo etiam facile soluitur, si quis obiciat de statuto Episcopi prohibentis sub censura, ne triticum, vel aliquid simile extra diocesim feratur, quod delictum non videtur consummari, donec terminus diocesis quis egrediatur. Quamquam enim moraliter potius, quam philosophice hec pensanda sint, nihilominus etiam in toto rigore verum est, peccatum illud quoad actionem consummari in toto termino diocesis, licet quoad terminum extrinsecum consummatur in alia.

Sed quid si praelatus sub censura prohibeat subditos sacerdotes, ne in alia diocesi Missam faciant, vel aliquid simile, quomodo poterunt illi censura ligari, cum facere non possint contra statum, nisi in aliena diocesi. Respondeo, hoc solum posse prohiberi ab Episcopo imponendo aliquod genus censurae, ut suspensionis ipso facto: quae suspensio inhereat personae, & ideo illam secum deferat ubicunque sit, ut infra latius explicabimus.

#### SECTIO V.

Num agens in aliena diocesi contra sententiam generalem sui praelati, eius censura ligetur.

**V**perest vero alia dubitatio an subditus alicuius Episcopi agens in alia diocesi contra sententiam generalem sui praelati, per quam censura fertur in eos, qui hoc agunt, vel omittunt, tale censuram incurrat. Nam ex dictis videtur sequi non incurri: quia talis sententia perinde habere videtur, ac statum generale: sed statum non obligat in alieno territorio: ergo nec huiusmodi sententia. Conf. ex ratione d. c. 2. Quia extra territorium nemo dicere potest ius, nam hoc verum est tam de statuto, quam de precepto. In contrarium vero est, quia in cap. A nobis, i. de Sent. excom. dicitur huiusmodi sententia, Quisquis furum fecerit, excommunicatus sit, obligari subditos omnes, absque distinctione vlla: sed licet versentur in alieno territorio adhuc sunt subditi, ergo ligantur.

In hoc Canonista aliter loquuntur de sententia, quam de statuto, nam per sententiam aiunt posse excommunicari existentem in alieno territorio, non vero per statum, ut videtur licet in Abbate dist. c. 1. de Foro competentis, n. 42. & in Vgol. d. c. 9. §. 2. & 3. aliis, quos referunt. Non declarant autem, an loquantur de sententia generali, vel de particulari tantum: rationes vero quas asserunt, utrique communes sunt. Summa earum est, quod statum respicit territorium, ut qui ibi adsunt, intelligant, quid ibi agendum sit, vel cavendum: sententia vero respicit personas. Ex qua differentia videtur sequi (ex sententia horum autorum) subditum transgredientem sententiam Praelati, etiam cum existit in alieno territorio, censuram incurrere.

Veruntamen ulterius aduertendum est, aliud esse, censuram ferri in eum, qui extra territorium

A existit, aliud vero ferri in eum propter delictum extra territorium commissum. Cum enim in cap. Vt animatum, de Constitut. in sexto. dicitur extra territorium non incurri censuram statuti, non est propter absentiam personae, ut sic dicam, sed quia actio ipsa, seu delictum extra territorium commissum est: ita ut, si fingatur casus, in quo post commissum delictum in alio territorio, antequam consummatur effectus eius, in quo incurritur censura, delinques iam existat in sua diocesi, nihilominus non incurret censuram. Vt v.g. si lethaliter vulneravit alium extra diocesim, & ad eam reuertitur antequam ille moriatur, non incurret censuram homicidij, ibi lata, quia delictum commissum fuit extra territorium, ubi statutum non obligat: & ideo quod persona sit in diocesi propria impertinens est. Sicut etiam e contrario si post delictum commissum in propria diocesi, ad aliam transierit ante incurram censuram, nihilominus illam incurret ubicunque esset eo tempore, quo consummatur effectus.

Vnde quoad hoc nulla est propria differentia inter sententiam & statum, in qua inuestiganda sine causa laborant citati Iurisperiti, dicentes per statum non ferri sententiam in existentem extra territorium, sicut per sententiam, propter dictum cap. Vt animatum, sed id falsum est, quando delictum contra statum commissum est in propria diocesi. Capitulum enim Vt animatum, non agit de absentia solius personae, sed delicti, ut sic dicam. Quapropter non est etiam quoad hoc differentia inter sententiam specialem, vel generalem: utraque enim ferri post in absentem, extra territorium, si feratur propter delictum in territorio commissum, sicut de speciali sententia supra ostendimus, & de generali facile constat a paritate rationis; & quia, si per statum id fieri potest, ut diximus, multo magis per sententiam generale quae magis respicit personas. Denique vlt. & exemplis res est manifesta, nam si Episcopus ferat hanc sententiam, Omnis homicida excommunicatus sit: subditus, qui intra illum Episcopatum lethaliter alium vulneravit, licet fugiat, & iam sit in alia diocesi, cum incipit esse homicida, excommunicatione contrahet. Et idem intelligi potest in peccato simoniae, & similibus. Communiter autem inter hec non fit distinctio, quia regulariter, moraliter non accidit, ut qui delinquit in vno territorio, tempore contrahendi censuram sit in alio: re tamē vera sunt distincta, & nonnunquam separata.

Difficultas vero est, an per sententiam, praesertim generalem feratur censura non solum in personam extra territorium existentem, sed etiam propter delictum extra territorium commissum, & quod discrimen circa hoc sit inter sententiam, & statum. Circa quod ulterius aduerto, duobus modis posse hanc sententiam ferri, ut supra dictum est; vno modo pro peccatis praeteritis cum ordine ad satisfactionem, vel restitutionem, & c. alio modo pro peccatis pure futuris. Quando priori modo fertur, quatenus illa censura supponit delictum commissum necessesse est, ut tale delictum, vel sit in propria diocesi commissum, vel quod alia ratione pertineat ad forum iudicis ferentis censuram, ut quod a subditis sit commissum, & quod ab ipso pars laesa ius suum requirat, nam si huiusmodi iurisdiclio in eo non supponatur, non habebit iurisdictionem ad vindicandum vel emendandum illud delictum. Supposita vero hac potestate, talis sententia obligabit subditos etiam si extra territorium sint, & ibi contumaces esse incipiant. Vt v.g. si Episcopus hic excommunicet eum, qui tale furtum fecit, nisi intra mensem restituat, quamvis reus in alia provincia versetur: & ibi post mensem incipiat esse contumax, sine dubio in excommunicationem incidet; quia illa non fertur per modum statuti, sed per modum sententiae, quae ferri potest in absentem. Neque in hoc est vlla ratio differentiae inter sententiam generalem, & specialem. Et, quavis contumacia, quae est proxima ratio censurae

ferri sententiam in absentem, & ferri propter delictum extra territorium commissum.

Tam sententiam quam statum committit absentem, quoniam delictum delictum.

An per generalem sententiam possit ferri in delinquentem extra territorium.

Sententia censura pro praeterito delicto lata non potest ferri nisi pro delicto in propria diocesi perpetrato.



Cur consummetur extra territorium, non obstat, tum quia præceptum illud non respicit territorium, sed personam: tum etiam, quia illa persona ratione delicti seu conventionis coram legitimo iudice, pre-occupata est, eamque ob re parere tenetur, argumēto c. *Propositi*, de For. comp. & ideo si sit contumax, in censuram incidet. Denique hic modus potestatis necessarius est ad bonum regimen Ecclesiæ, & ut censura debitam efficaciam habeant; nec propterea confunduntur iurisdictiones, aut perturbatur debitus ordo inter diuersas dioceses, ut per se notū est. Vnde nec dispositio cap. *Ut animarum*, nec ratio eius in hoc casu procedit, cum sit longe aliud de statuto, vel de hoc genere sententiæ, ut declaratum est.

At vero, quando sententia pure fertur in futurum ad præcauendum delictum, & non ad emendandum commissum, ut est illa c. *A nobis*. Qui furtum fecerit excommunicatus sit: maior est dubitandi ratio, quia vix potest constitui differentia inter hanc sententiam, & statutum, quantum spectat ad exercendum actū iurisdictionis extra territorium: quæ est ratio cap. *Ut animarum*, Nihilominus tamen, censeo esse constituendam differentiam, quam melius explicabimus, simul cum dubio sequenti.

Dubitari enim potest, an subditus vnius diocesis, existens in altera diocesi, & ibi agens contra præcepta Episcopi illius diocesis incurrat censuras ab illo latus. Videtur enim ex dict. c. *A nobis*, colligi, non incurrere, quia, ut ibi dicitur, generalis clausula non extenditur ad eos, qui non sunt de iurisdictione ferentis. Ratio etiam id probare videtur: quia ille non est subditus ratione domicilij, ut supponimus: neque etiam ratione delicti, quia tale delictum supponit obligationem talis legis: agimus enim de delicto inobedientie, transgressionis mandati talis prælati, obligatio autem supponit subiectionem: ergo ante delictum oportet, ut interueniat titulus subiectionis, qui in præsentem nullus est. In contrarium vero est, quia qui degit, aut versatur, in aliquo territorio, tenetur sese conformare, seu parere legibus illius: ergo, si illas transgrediatur, incurrit censuram ibidem tali legi annexam. Et confirmatur ex cap. 2. de Const. in 6. cum dictis hic in 1. dub. nam, qui in alieno Episcopatu transgreditur statutum sui Episcopatus, non incurrit censuram eius; ergo obligandus est ad seruanda statuta alterius Episcopatus, in quo versatur sub censuris eorum; alioqui ille fiet melioris conditionis, seu extra omne iugum, & legem solum, quia in alieno territorio peregrinatur.

Quocirca necessario hic distinguendum est inter statutum, & sententiam, nam quando præceptum prælati fertur per modum sententiæ, non ligat nisi subditos eius: non vero extraneos, etiam si in eius territorio delinquant. Ita enim aperte traditur in dicto c. *A nobis* primo, de Sent. excomm. & ita ibi intelligunt Glossa. Abbas, & alij Doctores: & Couarr. in dict. cap. *Alma*, p. 1. §. 10. nu. 2. Qui reddit rationem, quia per talem sententiam tantum ligantur illi, qui sunt subditi eo tempore, quo sententia profertur: quales non sunt extranei. At vero Vgolin. dict. c. 9. §. 2. n. 4. eandem tenens sententiā, ex contrario principio reddit rationem, scilicet, quia sententia statim ac lata est, operatur, ideoque ex tunc complectitur subditos, aut re, aut spe, id est, & eos qui nunc subditi sunt, & qui nascentur, eoque domicilium transferent, non vero comprehendit extraneos, qui illuc postea profecti delinquant, quia *infelix* (inquit) *casus non consideratur*, argumento legis *Inter stipulantem*, §. *Sacram. ff. de Verb. obligat.* At statutum (ait Vgolinus) *semper loquitur, & semper operatur*.

Sed hæc rationes non sunt efficaces: nam sententia hæc generalis, cum pro futuro tempore duret sine dubio complectitur non tantum eos, qui sunt subditi eo tempore, quo ipsa primum pronuntiatur, sed omnes qui toto illo tempore denuo incipiunt esse

subditi, siue per mutationem domicilij, siue per generationem, vel nouum vsu rationis: quia sententia illa non solum habet vim, & efficaciam cum primum fit, sed toto etiam tempore, quo durat: & quo ad hoc similis est legi, vel statuto, & quod attinet ad hoc punctum, verum assumit posterior ratio: tamē, cur respectu talis sententiæ non fiant subditi extranei delinquentes in illo territorio, minime probatur ex illo axiomate, quod *infelix casus non consideratur*. Alioquin respectu statuti fierent subditi. Item, illa generalis propositio non est vniuersaliter vera quoad omnes res morales: licet enim non consideretur quo ad stipulationem, de qua loquitur illa lex, quæ assertur, tamen quo ad prohibitionem, & punitionem maxime consideratur. Adde etiam, talem sententiam non solum non comprehendere extraneos venientes postea ad illam diocesim, sed nec etiā illos quos cōtingit in ea versari, tunc quādo sententia profertur: quia in eis etiam procedit decisio c. *A nobis*, 1.

Ratio ergo propria est, quia huiusmodi sententia licet generalis sit, directe fertur in personas, ut earū contumaciam coerceat, & puniat: ideoque non extenditur ad extraneos: qui, licet versentur in alieno territorio, illic simpliciter non sunt subditi, neque interuenit aliquis titulus, quo fiant subditi, nam delictum non facit subditum quoad huiusmodi censuram, ut supra insinuaui, & statim iterum dicam. Sicut vero est de statuto, nam (ex communi sententia) qui existens in alieno Episcopatu, frangit illius statutum, eius censura ligatur, ut constat ex Abbate in dict. c. *A nobis*, n. 7. & in c. vlt. de For. comp. n. 39. Syluest. ver. b. *Excomm.* 2. n. 5. Tabiena, *Excommunicatio* 4. n. 2. & alij, quos referunt, & sequuntur Couarr. & Vgolin. 5. & Jacob. de Graff. lib. 4. Decis. c. 8. n. 39. Qui omnes rationem reddunt, quia ille fit subditus ratione delicti. Quæ ratio videtur supponere probandum, ut argumentum supra positum videtur demonstrare. Delictum enim solum potest facere subditum in ordine ad futurum iudicium, & consequenter respectu omnium, quæ ad punitionem illius delicti ordinari possunt, non tamen potest facere subditum in ordine ad statutum, quod per tale delictum frangitur: quia huiusmodi delictum supponit obligationem statuti, & consequenter subiectionem.

Dices: Statutum prohibet furtum, v. g. vel aliquid simile, quod per sedelictum est, quod censura afficit, & ita potest homo ratione illius delicti fieri subditus, ut in eum cadat censura. Sed hoc in primis non est vniuersale, quia doctrina data non tantum est vera de statutis prohibentibus res per se malas, sed etiā de facientibus, ut actiones male sint, quia prohibita. Tunc autem non potest actio ad delictum imputari, nisi persona supponatur subdita, & per tale præceptum obligata. Adde etiam, in institutis prohibentibus res intrinsece malas necessario debere supponi subiectionem, ut delictum illud tale sit, quod sufficiat ad incurrendam censuram ipso facto, quia ad hoc non sufficit illud delictum præcise spectatū, ut est contra legem naturalem, vel diuinam, sed ut est contra Ecclesiasticam, & includit contumaciam, quæ supponit obligationem talis legis, & consequenter subiectionem ad illam. Quocirca, licet delictum in territorio commissum constituat hominem delinquentem talis fori, & supposito foro possit citari, & contumax fieri; tamen, si ante delictum commissum non est subiectus, fieri non potest, ut per delictum immediate, ac simul fiat subiectus, & contumax, & censuram incurrens.

Quod etiam videlicet in his, quæ de sententia diximus. Nam, si extraneus in alieno territorio delictum committat, etiam per illud delictum fit ita subiectus, ut contra illū ibi procedi possit, vbi deliquit, & nihilominus, licet in eo territorio per sententiam sit lata censura ob illud delictum, illam non incurrit quamuis talis sententia omnes subditos comprehendat.

Num subdi-  
tus vnius  
diocesis exi-  
stens si agat  
contra præ-  
cepta illius  
diocesis, illo-  
rum cen-  
suris ligatur.

Præceptum  
laicum per  
modum sen-  
tentie non  
ligat, nisi  
subditos se-  
ntentis.  
Glossa.  
Abbas.  
Couarr.  
Vgolin.

Rationes  
Couarr. &  
Vgolin. im-  
probantur.

Propria ra-  
tio.

Existens in  
alieno Epi-  
scopatu frangit illius  
statutum, il-  
lius censura  
ligatur.  
Abbas.  
Syluest.  
Tabiena.  
Couarr.  
Vgolin.  
Graffius.

Ratio com-  
munis im-  
probatur.

21



dat. Cuius ratio non est alia, nisi, quia sententia generalis, quæ lata est ante delictum commissum, solum potest obligare eos qui sunt subditi abtque tali delicto, non vero eos, qui postea subiiciuntur ratione delicti. Quod si fortasse hoc tantum voluit Couarr. cum dixit, sententiâ solum ferri in eos, qui iam sunt subditi, scilicet ante delictum, verum quidem dixit, sed non debuisset constitutere in hoc discrimen inter sententiam & statutum, quia re vera non est, ut rationes factæ probant.

Denique cum in statuto, seu iurisdictione duo possint considerari, scilicet, vis directiua, & coercitiua: ratione delicti non potest homo fieri subditus primò, & immediate in ordine ad vim directiuam, sed in ordine ad vim coercitiuam, seu punitiuam: id enim dicitur fieri subditus, quia iuste ibi puniri potest, ubi deliquit: consequenter verò obligari poterit secundum vim directiuam ad ea omnia, ad quæ iustus iudex potest obligare reum, non vero ad alia, præcise ex vi illius iurisdictionis. Cum autem omne delictum supponat vim directiuam, contra quam agitur per ipsum delictum, ut tale est, & vis directiua requirit subiectionem, nõ potest illa subiectione acquiri per delictum, sed supponenda est. Igitur, cum obligatio statuti pertineat ad vim directiuam, subiectione ad illud non potest oriri ex delicto illi contrariò, & consequenter prima ratio subiectionis necessaria ad talem censuram incurrendam non potest oriri à tali delicto.

Vera ergo ratio ex eo petenda est, quod lex, vel, quod idem est, statutum, vel constitutio, de quo agimus, primò, & per se datur pro ipso territorio, scilicet, ut in eo tali ordine, ac modo homines operentur: quando autem statutum huiusmodi est, non solum obligat homines habentes domicilium in illo territorio, sed etiam homines peregrinantes, qui in illo versantur per aliquod tempus: nam pro illo tempore tenentur se conformare legibus illius territorij, quia ita expedit ad commune bonum, & pacem, ut latius traditur in materia de Legibus. Atque ita prima subiectione ad illud statutum non oritur ex delicto, sed præcise ex actuali existentia, & conuersatione in tali provincia, & ex obligatione, quasi naturalis, quæ inde nascitur, ut vnusquisque sese conformet moribus eius regionis, in qua degit pro eo tempore, quo ibi versatur: præsertim in his rebus, quæ publico ritu, vel statuto ad omnes spectant & ad rectitudinem vitæ ibi necessaria existimantur: ut latius tradidit August. in Epist. 86 ad Casulanum: supposito ergo hoc titulo subiectionis, qui contra illud statutum agit, etiam si alioqui extraneus sit, re vera est inobediens, & contumax, quia per ipsum statutum sufficenter admonetur, sicut alij subditi, & ideo merito censuram incurrit tali statuto annexam. Et confirmatur, ac declaratur, nam, quamuis illi statuto nõ esset annexa censura, talis homo peccaret frangendo statutum, ut v. g. comedendo carnes de prohibito in aliquo Episcopatu ex peculiari statuto illius: ergo signum est obligare statutum antequam cõtra illud delinquat: ergo, si illi statuto esset annexa censura ipso facto incurrẽda, obligaretur ex vi illius sub eadem comminatione, atque adeo sufficenter ad incurrendam censuram, si statutum violat.

Tota ergo differentia inter statutum, & sententiã generalem in hoc posita est, quod statutum obligat omnes, qui versantur in territorio ratione territorij, sicut obligat etiam communis consuetudo, sic recepta: sententia verò solum obligat personas secundum se, in quas directe fertur. Ethinc nascitur altera differentia, quam in fine præcedentis dubij inquisieramus: nam statutum, cum territorium respiciat, non obligat subditos, dum extra illud versantur, seu respectu alterius territorij: & ideo ibi non incurrit censuram per tale statutum latam, iuxta dispositionem capituli, *Ut animarum*: at verò sententia

Fr. Suarez. tom. 5.

feritur in personas secundum se & ideo illas afficit vbicunque existant (seu afficere potest quantum est ex se ita enim loquimur) quia semper respicit illas, ut subditas, & in ordine ad actum, seu vltimam subiectionis: quia non pendet ex præsentia, seu existentia intra territorium.

Imò hinc colligo generalem regulam obseruandam. Quotiescunque superior habet ius, seu potestatem præcipiendi subdito extra territorium existenti, vel imponendi ei præceptum, cuius obligatio daret, etiam si subditus extra territorium incedat, vel tale præceptum, quod extra territorium executioni mandandum sit: tunc, si tali præcepto legitime sit annexa censura, vbicunque subditus violat illud præceptum, etiam extra territorium, censurâ incurrit. Ratio est clara, quia tota causa incurrendi huiusmodi censuram est contumacia, & violatio talis præcepti: sed in eo casu subditus vbicunque existat est contumax, & violator præcepti: si id agat, quod præceptum vetat: ergo incurrit censuram. Nam supposita contumacia, & tenore legis, sola absentia non potest impedire censuram, quia, ut sæpe dictum est, in absentem ferri potest. Neque etiam diuersitas territorij impedire potest executionem legis quoad hanc poenam, quia talis executio per ipsam legem fit, & sine externa; aut corporali vi, quæ possit pacem, vel ordinem iurisdictionum perturbare.

Contra hoc verò obiici potest dictum caput, *Ut animarum*, quod generatim, & sine restrictione declarat censuram non incurri agendo contra statutum extra territorium. Propter quod Bartolus, & alij decretum illud intelligendum putant; solum quando statutum simpliciter loquitur, secus verò esse quando ipse legislator sufficienter declarat, se velle obligare etiam extra territorium. Hanc verò interpretationem refellit Couarr. dict. num. 3. & Nauarr. in Summa cap. 27. num. 273. Syluest. supra; qui repugnat rationi eiusdem textus: nam Pontifex ibi non defectui voluntatis, sed defectui potestatis prælati ferentis statutum, tribuit quod eius statutum extra territorium non liget: ergo quantumuis ipse prælatus declaret se aliud velle, nihil operabitur, cum non habeat potestatem. Et ideo ipse Couarr. aliam declarationem indicat in fine illius numeri tertij, scilicet: tunc obligari subditum, per statutum territorij, extra illud existentem, quando statutum factum est in vilitatem ipsius diocesis, seu provincie, quia tunc licet alibi delinquat, non censetur simpliciter extra territorium delinquere, cum in iniuriam ipsius territorij delinquat, & ita quodam modo in illo peccat, quando quidem in illud peccat.

Sed quamuis verum sit, ob hanc causam posse obligari subditum ad seruandam legem extra municipium, vel provinciam, & per talem legem puniri, si ibi delinquat: non tamen existimo per hanc rationem satisfieri difficultati, quia non solum propter illam, sed etiam propter alias iustas causas pertinentes ad bonum ipsius subditi, vel aliorum potest prælatus, præsertim Ecclesiasticus, præcipere subdito, ita ut teneatur seruare præceptum vbicunque sit. Idemque facere potest sub censura, si aliqui talis sit superior, ut potestatem habeat ferendi censuram: Quod exemplo supra posito declarari potest de Episcopo, qui potest præcipere alicui clerico, ne extra diocesim sacrum faciat, aut aliquid simile: & in religionibus id facilius contingit: posset enim Prouincialis sub excommunicatione præcipere subdito, ut ieiunet semel in hebdomada; quod facere tenebitur, etiam si extra provinciam versetur. Et in hoc clare distinguitur præceptum territorij, seu provincie à præcepto persone: nam licet in hac provincia esset consuetudo, aut præceptum ieiunandi feriâ sexta, etiam sub censura, subditus, qui extra illam versatur, non tenebitur illo præcepto,

16  
Regula generalis.

17  
Cap. Ut animarum obiicitur.

Couarr. interpretatio.

18  
Improbatur.

K. nec



Vera expō-  
tio.

nec incurret censuram non ieiunando, quod secus A  
esset, si præceptum fuisset directè impositum perso-  
næ. Quod si hoc fieri potest per præceptum speciale,  
poterit etiam fieri per generalem sententiam, quæ  
solum est generale præceptum: ratio autem genera-  
lis, vel particularis non variat iurisdictionem, aut  
potestatem: & ideo in sententia generali veram cē-  
seo sententiam Bartoli: quod potestas non deest si  
voluntas concurrat. Ad difficultatem ergo respon-  
detur: caput *Vi animarum*: loquitur de statuto terri-  
torij, seu provincie, non de præcepto imposito per-  
sonæ, cui nos dicimus æquiparari sententiam gene-  
ralem, & ideo sub decisione illius textus non com-  
prehendi. Nec in præceptis personalibus, siue spe-  
cialibus, siue generalibus procedit ratio illius tex-  
tus, nam hæc præcepta (vt dixi) & prolatio censuræ  
secundum se non respiciunt territorium, sed perso-  
nas: & ideo qui sic præcepit, non dicit proprie ius  
extra territorium: sicut qui absoluit subditum in  
aliena diocesi, non dicit ius extra territorium, sed  
ab illo abstrahit.

## DISPUTATIO VI.

## De Effectibus censuræ.

**A**CTENVS institutionem, na-  
turam, & causas censuræ decla-  
rauimus: solum superest, vt de  
effectibus eius dicamus, vbi etiā  
si quidpiam desiderari potest, vel dicen-  
dum superest de fine, seu causa finali cen-  
suræ simul explicabitur, quoniam finis, &  
effectus in eandem rem sæpè coincidunt.  
De attributis verò, seu proprietatibus cen-  
suræ nihil dicere oportebit, quoniam quæ  
alicuius momenti esse possunt ad rem mo-  
ralem, sufficienter tacta sunt explicando  
formam, & modum censuræ ferendæ, &  
explicando distinctionem censuræ in iniu-  
stam, & nullam: ibi enim indicauimus quæ  
sint substantialia, quæue accidentalialia in  
censura, & præter hæc non habet alia attri-  
buta, nisi fortasse aliqua illi accommodentur  
in ordine ad effectum, vt v.g. quod vim ha-  
beat hunc vel illum effectum efficiendi,  
quæ attributa explicatis effectibus explica-  
ta remanebunt. Quamquam hæc vis, & ha-  
bitudo ad effectus potius pertineat ad sub-  
stantiam censuræ, nam tota eius ratio in  
hoc consistit, vt sit vinculum inducens hos  
vel illos effectus afflictiuos, & pœnales ad  
comprimendam contumaciam. Atque ob  
causam paucam de his effectibus dicam: nam  
explicabuntur melius in singulis censuris,  
quoniam ex illis, seu per ordinem ad illos  
proprie rationes, seu differentie singula-  
rum censurarum à nobis explicandæ sunt.

Duo igitur hic breuiter trademus, pri-  
mum, qui sint effectus communes  
omnibus censuris, secundum,  
quibus modis impediri  
siue excusari  
possint.

## SECTIO I.

## Qui sint, &amp; quot effectus censuræ.



**Q**UONIAM finis, & effectus, vt dixi, in idē fere coincidunt, oportet in præ-  
fenti distinguere duplicem finem cen-  
suræ, scilicet remotum, & proximum,  
qui etiam dici possunt intrinsecus, &  
extrinsecus finis, vel etiam dici possunt finis operan-  
tis, seu ferentis censuram, & finis (aut quasi obiectū)  
ipsiusmet censuræ. Finis remotus, qui etiam extrin-  
secus, & operantis dicitur est fructus ille bonus, quē  
prælatus ferens censuram, intendit per huiusmodi  
censuram, aut legem, qua censuram fert, qui etiam  
potest esse multiplex, scilicet, temporalis, vel spiri-  
tualis. Quando enim aliquis communicatur, v.g.  
propter temporale damnum quod alteri intulit, vt  
sæpè fit, & recte fieri potest, si debita circumstantiæ  
feruentur, vt docent Theologi in 4. distinctione 18.  
& specialiter Diuus Thomas question. 2. articul. 11.  
quæstionula tertia: tunc fructus temporalis, per ta-  
lem censuram intentus est, vt temporale damnum  
alteri factum restituatur, vel aliquid simile. Quod si  
talis fructus obtineatur, ille dici potest effectus cen-  
suræ, quamuis remotus. Nunquam tamen fructus  
temporalis est tantum, aut præcipue intentus per  
censuram: nam cum illa sit pœna spiritualis, & gra-  
uissima, nunquam esset imponenda propter tempo-  
ralem fructum, nisi hic esset coniunctus cum aliquo  
spirituali maioris æstimationis, magisque intentus  
per ipsam censuram. Huiusmodi autem in primis  
est obseruantia obedientiæ Ecclesiasticæ: deinde re-  
paratio spiritualis lapsus commissi ab eo, qui cen-  
sura ligatur, vt nunc à peccato resurgat, & tandem spi-  
ritus eius saluus fiat in die Domini, vt dicitur primæ ad  
Corinthios quinto. Atque hi omnes dici possunt  
effectus censuræ remoti tamen, & valde extrinseci.  
Imò considerata natura, & qualitate censuræ respec-  
tu illius per accidens, & quasi per occasionem con-  
sequuntur, licet respectu intentionis ferentis sint  
per se: & ideo dixi huiusmodi magis esse finis feren-  
tis censuram. Atque ita fere loquuntur de hoc fine,  
& effectu passim, canonici iura, vt videre est in capi-  
te primo de sententia excommunicationis in sexto,  
& in capite primo de Exceptionibus eodem libro,  
& in aliis, quæ vndecima quæst. 3. & 23. quæstione  
sexta, & sub vtroque titulo de sententia excommu-  
nicationis continentur. De hoc ergo fine, & effectu  
remoto censuræ plura dicere est necesse.

Alius ergo est finis censuræ, qui est veluti obie-  
ctum eius intrinsecum, ad quod proximè ordina-  
tur, quod est ligare hominem spiritualiter, priuan-  
do illum his, vel illis spiritualibus bonis, & est pro-  
prius, ac per se effectus censuræ, tamen ex parte ferentis  
illam, quam ex parte ipsiusmet censuræ. Ex parte qui-  
dem ferentis, quia hæc debet esse proxima intentio,  
imò supra diximus, huiusmodi intentionem esse  
simpliciter necessariam ad valorem censuræ. Ex  
parte autem censuræ, quia hoc solum est, quod ipsa  
potest per se efficere, sicut proprius effectus vincu-  
lorum est ligare, & corruptionis, seu priuationis au-  
ferre: quamuis inde possit sequi per accidens alius  
fructus, vel generatio.

De hoc ergo effectu loquendo dicendum est pri-  
uationem aliquorum spiritualium bonorum esse  
effectum communem omni censuræ: nulla enim  
est, quæ aliquid huiusmodi non efficiat, vt inductio  
ne facile probari potest ex multis iuribus, quæ ha-  
bentur sub titulo de sent. excomm. & de cleric. ex-  
comm. ministr. de ea nunc omitto, quia infra tra-  
ctando de singulis censuris ex professo asserenda  
sunt, & explicanda. Ad hoc vero etiam faciunt ea,  
quibus supra probauimus censuram esse pœnam spiri-  
tualem,

Finis censuræ duplex.

Quid sit finis remotus censuræ.

D. Thom.

1. Cor. 5.

Quid sit finis intrinsecus censuræ.

3. Priuationem aliquorum spiritualium bonorum esse effectum communem omni censuræ.